

**www.e-rara.ch**

**Purpura Docta, Seu Vitæ, Legationes, Res Gestæ, Obitus, Aliaque Scitu,  
ac Memoratu Digna, &c. S.R.E. Cardinalium, Qui Ingenio, Doctrina,  
Eruditione, Scriptis, Libris editis, & Elucubrationibus ...**

**Eggs, Georg Joseph von**

**Francofurti, Anno MDCCX**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-74380>

Anno 1534.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Agunt de eo Panvinus de Rom. Pontif. Frizonius in Gall. Purp. Aubery in vita. Claudius Robertus in Gall. Christiana. Contelorus in Elencho Cardin. Henricus Spondanus in Annal. Ecclesiast. Morerius in Diction. Histor. Hoffmannus in Lexico Hist. univers. & alii.

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

ALEXANDRO FARNESIO

S. R. E. CARDINALE.

**A**LEXANDER Farnesius, Romanus ex nobilissima & pervertusta Farnesiorum Familia, quæ inter Romanas principem ferè locum obtinet, Petro Aloysio Parmæ & Placentiæ Ducis ex Hieronyma Ursina pari generis claritate scemina natus est die 7. Octobris anno ab orbe redempto 1520. Hic à teneris annis eximiâ parentum curâ domi forisque in omni virtutum ac literarum genere apprimè institutus, cum humaniores juxtâ ac graviores disciplinas omnes, quibus ea ætas ad familiæ splendorem & reipublicæ emolumentum imbui ac exornari solet, perspicaci vividoque ingenio comparasset, ab avo suo Paulo III. annum agens decimum quintum, inter Diaconos Cardinales cum denominatione S. Angeli in Foro piscium cooptatus est. Die 13. Augusti anni sequentis relicta Diaconia S. Angeli, ad illam SS. Laurentii & Damasi anuente Paulo transitum fecit. Tum ex Diaconorum primo, Presbyterorum princeps; ex Presbytero Cardinali Episcopus primùm Sabinensis; deinde Portuensis; demum Ostiensis, & sacri Collegii Decanus, sacre Romanæ Ecclesiæ item Vicecancellarius; & Basilicarum S. Mariæ Majoris primò, deinde Vaticanæ Archipresbyter diversis temporibus renunciatus est.

XL

Nobilissima  
ortu.

Hieronymus Fracastorius insignis ævi illius Poëta, Alexandri Farnesii juvenis purpurâ ornati laudes eleganti carmine cecinit: hujus carminis initium hoc est.

At tibi quas, Juvenis fortunatissime, dignas  
Attribuam laudes? generis spes altera tanti,  
Inclyte ALEXANDER: puerum quem plurima virtus,  
Canâque confurgens teneris prudentia ab annis,  
Et spondens majora astris felicibus æther  
Ad summos meritum ante annos evexit honores,  
Et sacri gestare dedit decora alta GALERI?

Carmen in  
ejus purpurâ  
ram.

Ejusdem Cardinalis purpuram ac animi dotes laudibus extulit Franciscus Marius Molsa Mutinensis, Poëta celebris; Jacobus item Sadoletus, Petrus Victorius & alii.

Rexit Alexander Cardinalis ut Episcopus Giennensem Ecclesiâ in Hispania; Massanensem in Hetruria; Spoletinam in Umbria; Vifensem in Lusitania; Anagninam in Hernicis; Maceratensem in Marca Anconitana; Herbipolensem in Germania; Bituntinam in

regno Neapolitano. Archiepiscopus verò præfuit Ecclesiæ Avenionensi in Gallia; Montisregali in Sicilia; Beneventanæ in regno Neapolitano, & ut Patriarcha Hierosolymitanæ. Per singulos harum dignitatum gradus ita graviter, incorruptè, piè, ac prudenter versatus est, ut quamvis majorum stemmate, & longo sanguine censeatur, nobilitas tamen illi, unica & sola virtus esse visa fuerit. Cujus quanta fuerit autoritas, & in rebus gerendis dexteritas, variæ ac gravissimæ legationes haud obscure testantur: nam adhuc adolescens Anno 1541. ad Carolum V. Imp. & Franciscum Galliarum Regem, qui Lutetiæ Parisiorum amicè convenerant, ut utriusque Pontificis nomine gratularetur, missus legitur. Rursum ad Carolum Imp. (qui à Petro Aloysio, ut Pontificem alloqueretur, exorari non poterat) Genuam veniens, singulari dicendi vi, qua maximè ad persuadendum pollebat, reluctansem diu Cæsarem ita delinivit, ut Pontificem ad oppidum Buxetum Imperator convenerit. Nec multò post idem Cæsar Sicambri domitis, eundem Alexandrum pro pace inter se, & Regem Galliarum à Pontifice legatum clementer audivit.

*Patrocinia  
diversa ad-  
ministrat.*

Quin & ob summam vitæ integritatem atque prudentiam diversorum Collegiorum, Sodalitiorum, Siciliæ, Arragoniæ, Lusitanæ, Poloniæ, Imperii Romani, Genuensis Reipublicæ, ac Ragusinae, Ordinisque Benedictinorum patrocinium apud Sedem Apostolicam gessit. Anno 1582. Collegium Patribus Societatis JESU ad Ecclesiam Montisregalis in Sicilia, cui ipse præerat, à fundamentis erexit.

*Ingens Be-  
nefactor Soc.  
JESU.*

In Urbe verò Romæ iisdem Patribus Societatis JESU, Templum aliud augustissimum septennio antè à fundamentis construxit, in quo interius in occidentali parte supra portam regiam memoranda hæc inscriptio legitur.

### ALEXANDER FARNESIUS CARDINALIS

S. R. E. VICECANCELLARIUS

PAULI III. PONT. MAX. NEPOS, CUJUS AUTHORITATE SOCIETAS JESU RECEPTA PRIMUM FUIT; ET DECRETIS AMPLISSIMIS ORNATA, TEMPLUM HOC SUE MONUMENTUM, ET RELIGIONIS, ET PERPETUÆ IN EUM ORDINEM VOLUNTATIS, A FUNDAMENTIS EXTRUXIT. ANNO JUBILÆI M. D. LXXV.

*Præfensio  
S. Ignatii de  
beneficentiâ  
hujus Car-  
dinalis.*

Hujusce Templi constructionem præfenserat olim S. P. Ignatius, dum viveret; nam cum vir quidam nobilis ac pecuniosus Templi Societatis angustias miseratus, ædem Patribus ædificare vellet laxiorem, sed descriptionem quandam suam sequeretur cum dignitate quidem illam & elegantia; veruntamen ad Religionis dictæ usum parùm idoneam: Ignatius piæ viri voluntatem multum dilaudans, maximas illi, ut decuit, egit gratias, rem verò ipsam animo fidenti rejecit; quòd sibi compertum diceret, non defuturum olim, qui Templum Ordini suo accommodatum extrueret. Quam præfensionem Alexandri Cardinalis Farnesii eximia religio, & regia planè munificentia egregiè comprobavit. Nam 6. Kalend. Julii anni à partu Virginis 1568. idem Farnesius, & Cardinalis Augustanus primarium in fundamen-

tis

tis lapidem magnifici Templi sanctissimo JESU Nomini dedicati ad ædes Professorum posuerunt. Ad quod jam perfectum anno 1583. ex pervetusta æde SS. Cosmæ & Damiani, Gregorii XIII. consensu, precibus Alexandri Cardinalis, sacra pignora Abundii Presbyteri, & Abundantii Diaconi Martyrum, 17. Kal. Octobris magna celebritate illata sunt. Peracta est solemnitas supplicatio non solum à Religiosorum familiis, sed etiam à Sodalitio, quod erat B. Virginis in Collegio Romano, à Clericis & Convictoribus Seminarii, à Germanico Hungaricoque, & Anglicano Collegiis. His feria quinta gestis, toto inde triduo sacra corpora in ara ad id in medio choro excitata, populi, qui plurimus accurrit, venerationi fuere exposita. Insequenti anno 7. Kalend. Octobris procurante eodem Alexandro Cardinali recondita sunt in concamerata cella subter ipsum altare maximum, loculo inclusa nobili è punico rubenti marmore, ibique in præsentem usque diem summa religione coluntur. Eodem anno nostræ salutis 1584. ritè à Cardinali S. Severinæ idem Templum maximâ pompâ consecratum est, & die Virginis in cælum assumptæ sacra Gregorius XIII. Pontifex Max. novæ Basilicæ decus addidit, solemnitas Pontificalia cum Cardinalibus inibi celebrando, quo primùm die sacrosancta Hostia in ara principe immortalis DEO immolata est.

Ædem quoque SS. Laurentii & Damasi de urbe, Alexander <sup>Ejus præcel-</sup> Cardinalis insigni laqueari, & præstantium pictorum signis exornavit. Basilicam S. Mariæ Majoris, cujus, ut diximus, Archiepiscopus fuit, pretiosis donariis exornavit. In Vaticano Principis Apostolorum Templo aram <sup>lentia opa-</sup> *Vultus sancti* dotavit, duoque Sacerdotia crexit, ut in ea sacram hostiam diebus Dominicæ, Lunæ, & Veneris DEO libarent. Crucem & duo candelabra aurea, pretio scutorum quindecim millium eidem Ecclesiæ dono dedit. In ædes Orphanorum pari liberalitate decem aureorum millia contulit, aliæque innumera inexhaustæ munificentia argumenta, ut infra dicturi sumus, passim edidit.

Quare qui celebrem hunc Cardinalem, liberalitatis fontem; <sup>Ejus sum-</sup> Farnesæ gentis facem; Principum conciliatorem; eruditorum <sup>mum. elog-</sup> columen; pauperum parentem; Provinciarum patronum; Romanæ <sup>um.</sup> urbis decus, & Italiæ totius ornamentum cum Oldoino nominaverit, à veritate aberrasse non dixerim.

Quam autem diligenter ad bene piæque moriendum religiosissimus hic Cardinalis sese comparaverit, paucis innuere sit satis. <sup>Ad piæ mo-</sup> Biennio ante mortem paucis religiosis comitibus delectis, urbis <sup>riendum se</sup> strepitum fugiens, sese recepit in Villam suam extra Romanam pomeria sitam, ibi diligenti scrutinio perlustratâ conscientia, animum contractis maculis sacrâ exomologesi tenerrimis lacrymis expiavit. Ab eo tempore uberiores elemosynas in pauperes erogavit; de rebus ad Deum pertinentibus, & æternam animæ salutem concernentibus frequentius loquebatur; tumulum dudum ante mortem sibi præparatum, despectis vanitatibus, mente complectebatur; Deum bonorum omnium fontem assiduis precibus pro sancto mortalis vitæ termino interpellabat. Diebus singulis

plura sacra in suarum, ut agebat, nostrarum remissionem celebrari; plura in pauperes donaria erogari præcepit: Subsidia denique precum à non paucis religiosorum hominum familiis, collato in vicem ære, pietissimè postulavit. Dignus profectò, de quo Carolus V. prudentissimus Imperator aliquando dixerat: *Collegium Cardinalium si ex talibus viris constat, sanè Senatus similis nusquam gentium reperietur.*

*Ejus obitus.* Migravit è vita vir laudatissimus Romæ die 2. Martii anno Christi 1589. ætatis septuagesimo, quorum quinquaginta quinque, raro exemplo, purpurâ indutus traduxerat. Cùm cadaver ad Templum *Nominis JESU* ab eo conditum, sepeliendi gratia deferretur, fora, compita, plateas, loca omnia urbis, (viâ exceptâ, qua funeris pompa ducebatur) deserta, & plurimorum lacrymas, *Patriæ & pauperum parentem; Curia splendorem; Purpura ornamentum; Antistitum decus; Christiani orbis magnum lumen sublatum* querentium vidisses. Viscera in SS. Laurentii & Damasi Templo ante aram maximam cum nobili inscriptione humata. Exequiis funeralibus in augusta Societatis JESU æde Cardinales duo supra quadraginta; Præfules centum; Sacerdotum turba immensa interfuere. Epitaphium ab Aurelio Urso tumulo affixum fuit tale.

*Versus in honorem funeris.*

*Eheu FARNESI! quod nomen in urbe relinquis  
Dulce tui? qua spes, te pereunte, perit?  
Te gemit ager, inops, te virgo nubilus optat;  
Te reus è dura compede sæpè vocat.  
Tu decus omne tuis patriæ tu sydus amicum,  
Grandæque præsidium, ac nobile lumen eras.  
Nunc moriens, Romæ excidium funisque videris!  
Omnis & in te uno Roma sepulta jacet.*

*Amor in viros doctos.* Amavit Alexander à primis annis sapientiam & eruditionem, doctos viros modis omnibus fovit, suspexitque: Ædes ejus sapientiæ (ut cum Oldoino loquar) altrices erant, & domicilium; eruditorum perfugium, sedes, & quies. *Quis nescit, scribit Petrus Victorius in literis ad illum datis, quanto studio tu semper ornâris doctos & eruditos viros? & quantoperè dignitas eorum, commodâque curæ tibi fuerint? nec tantùm cùm vivente adhuc Paulo III. Optimo, sapientissimòque sene, florentibusque tuis rebus, concursus ad te cunctorum literatorum fiebat, eorumque omnium, qui in aliqua honesta arte cateris præstabant, quibus omnibus præsidio eras, in eosque alacri animo gratiam tuam benignitatemque conferebas, sed etiam reliquis temporibus, ac duriore quoque fortuna: Nunquam enim destitisti fovere studia, semperque domus tua plena fuit eruditorum hominum, & in omni genere literarum magnoperè celebratorum.* Ex ejus familia quasi ex Ecclesiasticæ sapientiæ Academia Episcopi, Cardinales, Romani Pontifices prodierunt; prudentissimo & sapientissimo magistro usus, Paulo nempe Pontifice, cujus lateri individuus adhærebat, & ex cujus pectore, prudentiæ hauriebat documenta. Quindecim totos annos, quibus Paulus Pontifex vixit, Ecclesiam ferè universam prudentissimè gubernavit; legatio-

tiones Apostolicæ Sedis aut ipse obivit, aut quibus voluit, à Pontifice delatæ. Ad Pontificem, atque à Pontifice per ipsum Alexandrum Provinciarum, & Principum manabant negotia: Viros Ecclesiasticos doctrinâ ornatos esse cupiebat, eâ saltem, quæ Ecclesiasticæ vitæ sectatori est consentanea; dicebat eapropter sæpè; *ut ignaro milite nihil inutilius, sic & Clerico indocto nihil est turpius.*

Cæterùm DEL, qui summa bonitas est, naturam, quantum homini mortali licet, imitari conatus, omnibus, qui suam implorassent opem, benefacere studuit. Numerosam familiam sumptibus regis aluit; dena millena aureorum nummum dono dedit; in pauperes opes non modò erogavit, sed effudit: multas honestas familias ad rei familiaris angustiam redactas suâ beneficentiâ erexit; pueros plurimos parentibus orbatos ære suo educavit; alios in ingeniarum artium studiis sustentavit: trecentas virgines plebeias, totidemque nobiles dotavit, atque à periculo pudoris evulgandi revocavit. Viros nobiles utriusque statûs, aliosque Catholicæ Religionis causâ exules nummis refecit. Romæ omnes religiosorum hominum familias eleemosynis recreavit; Captivos millenarium numerum excedentes, è Turcarum manibus sua liberalitate redemit. Ut proinde non immeritò *Pater Patriæ* vulgò appellari meruerit.

Scriptit Alexander Farnesius literas plures, doctrinâ & prudentiâ insignes, quarum aliquæ inter literas Cardinalis Sadoleti editæ inveniuntur. *Quid scripsit.*

Orationes duas ad Carolum V. habitas.  
Statuta salubria pro Clero Montisregalis.

*Eum laudant Petrus Ribadeneira, & Petrus Maphæus in vita S. Ignatii. Antonius Sanderus in Elogiis Cardin. Laurentius Schraderus in monumentis Italia. Jacobus à S. Carolo in Biblioth. Pont. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Henricus Spondanus in Annal. Eccles. Aloysius Lellus in Eccles. Montisregalis. Famianus Strada de bello Belgico. Aubery in vita. Morerius in Diction. Histor. & alii plurimi.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

NICOLAO A SCHOMBERG

S. R. E. CARDINALE.

**N**ICOLAUS à Schomberg, Germanus Suevus, patriâ Misnensis, Theodorici à Schomberg nobilis Misnensis filius: Adolescens sacra visendi limina incensus desiderio, Religio-<sup>Nobilitas</sup> nis ergo Romam petiit. Per solutis magna devotione ibidem<sup>Nicolaus</sup> votis, patriam cum repeteret, Florentiæ divino afflatus spiritu sacrum Prædicatorum Ordinem anno reparatæ salutis 1497. ingressus est in D. Marci nobili cœnobio sub disciplina famosi Hieronymi Savanorobæ, sub quo etiam liberales artes & Philosophicam

*Cœnobii  
Prior.*

*Terræ S.  
Provincia  
lis.*

cam scientiam edoctus, cum animum studiis Theologicis accuratâ diligentia applicaret, clarus brevi tempore Theologus evasit. Crescentibus deinde cum doctrina virtutibus, Theologiæ Doctor, & Cœnobii Prior maximâ fratrum concordia electus, cum in eo munere ritè obeundo mirè excellisset, magnamque nomini suo famam ex virtutum cumulo conflasset, à Joanne Clareto Ordinis Generali socius, & Terræ sanctæ Provincialis renunciatus est. Quem magistratum cum nonnullis identidem annis summa cum prudentia, vitæque integritate gessisset, ad majora vocatus, totius Ordinis in Romana Curia Procurator Generalis suffragio capituli electus est: à Julio II. & Leone X. summis Pontificibus ob incorruptam vitæ tenorem, magnamque scientiarum cognitionem mirè æstimatus, charusque habitus.

*Scriptis, &  
toleratis la-  
boribus Ec-  
clesiam ab  
Heresi de-  
fendit.*

Anno salutis 1520. cum Lernam illam Tartaream Lutherum, varios errores in Germaniæ perniciem disseminantem, scriptis oppositis virili conatu exagitasset; ac multos pro DEO, & Ecclesia quaquaversum hæresum monstris impugnatâ, labores tolerasset; in vicem præmii Archiepiscopatu Capuano à Leone cohonestatus est. Nuncii postea Apostolici munere tum in Hispania, tum in Hungaria summa cum laude perfunctus, Clementis VII. intimus & fidissimus tam in prosperis quàm adversis consiliarius fuit: à quo ad Franciscum I. Galliæ Regem pro pace cum Cæsare ineundâ in Galliam missus, cum Regi quorundam malevolorum calumniis suspectus redderetur, Avenione contra jus gentium detentus, maleque habitus est. Purgatâ malè impactâ calumniæ labe, dimissus atque ad Cameracense concilium regio nomine invitatus, sua facundia, dexteritate, & in rebus gerendis prudentiâ pacem diu desideratam Regem inter & Cæsarem totius Reipublicæ Christianæ jubilo tandem persuasit & stabilivit. Ad Curiam reversus vir pietatis, prudentiæ, & doctrinæ laudibus clarus, tantam apud homines cujusvis Ordinis & dignitatis sibi conciliavit gratiam, ut Clemente mortuo (quod & in Hadriani VI. comitiis acciderat) licet purpurâ nondum ornatus esset, parùm abfuerit, quin summus Ecclesiæ Pontifex, urgente populo, salutaretur.

*Pacem in-  
ter Carol.  
V. & Franc.  
I. facit.*

*A Paulo  
III. creatur  
Cardinalis.*

Hinc Paulus III. statim atque summam rerum adeptus est, quod maximas probatissimi viri virtutes & merita explorata haberet, illum inter primos ad Cardinalitiam dignitatem titulo S. Sixti evexit: In quo sublimi statu constitutus, nihil de monastica disciplina remittens, cæteris purpuratis quoad vixit, non tam ornamento, quàm ad probè vivendum exemplo fuit. Mortalia deseruit Romæ sancto exitu in Cœnobio S. Mariæ super Minervam, 5. Idus Septembris anno ex aliquibus eodem 1535. quo renunciatus est Presbyter Cardinalis; ex aliis verò, atque ex sepulchrali inscriptione anno 1537. ante fores Ecclesiæ memoratæ humili loco, uti decedens mandaverat, tumulatus: Ubi hoc legitur epitaphium.

*Ejus obitus.*

## D. O. M.

Hoc vili, quem à tergo Viator habes, Tumulo conditus est  
is, in quo mira rerum peritia, Catholica doctrina, atque  
Religio fuit, NICOLAUS A SCHOMBERG, natione  
Suevus, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis Capuanus à  
Paulo III. Pont. Max. creatus, quem nobilem genere ipsa  
nobiliorem reddidit virtus, qui tanto majori laude post  
mortem efferendus est, quanto ipse moriturus eam  
fugere curavit.

Epitaphia.

NICOLAUS A SCHOMBERG THEODORICI FILIUS  
ex Suevis Misnensibus oriundus, S. R. E. Titulo S. Sixti Pres-  
byter Cardinalis cognomento CAPUANUS, sacri  
Ordinis Prædicatorum.

Vixit Annos LXV. dies XXIX. Obiit anno Christi  
M. D. XXXVII. V. Idus Sept.

Hunc, quem veluti civem adamaverat Forentina civitas, mortuum  
sincerè & diu luxit; magna enim beneficia in omnes ejus Civitatis  
Ecclesias & pia loca contulerat Nicolaus, sed præcipuè in ditando  
Annocentum Xenodochio ejus liberalitas eminuit, cui præter aurum  
ac omnem suppellectilem suam, unicam etiam Abbatiam, quam  
ex dispensatione Apostolica in Commendam obtinuerat, futuris sæ-  
culis uniendam curavit. Capuanam Ecclesiam, quam decem &  
septem annis magna cum laude Archiepiscopus moderabatur, sa-  
cris ornamentis, aureis candelabris, aris, & laqueareo tecto or-  
navit: de qua re videatur Capicius libro 2. Historiæ Neapolitanæ,  
qui tamen perperam Nicolaum à Clemente VII. Archiepiscopum  
Capuanum creatum scribit; nam post obitum Hippolyti Estensis  
Cardinalis anno 1520. infulam Capuanam à Leone X. accepit.

Plures insignes Epistolas scripsit, quæ sparsim inter Principum  
litteras editæ habentur; inter quas sunt nonnullæ lectu dignissimæ  
ad Cardinalem Carraciolum de Thomæ Mori cruenta morte datæ.

Idem Orationes quinque stili nitore elegantes edidit de ad-  
miranda Christi pugna cum diabolo in deserto, coram  
Julio II. Pont. Max. habitas.

Elucubravit etiam sermones sacros de Tempore: de Sanctis:  
de Festis B. V. M.

Agunt de eo Panvinius de Rom. Pontif. Ughellius in addit. ad Ciac. Henricus Spondanus  
in Annal. Eccles. Aubery in vita. Felix Contelorius in Elencho Cardin. Capicius in  
Hist. Neapolit. & alii.

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## JOANNE BELLAIO S.R.E. CARDINALE.

XLII.  
Bellaius  
quis?

**J**OANNES Bellaius, natione Gallus, Ludovici Domini *de Langey*, & Margarithæ *de la Tour-Landry* filius natus minor in lucem editus circa salutis annum 1492. non minus genere, quam literis & dignitate conspicuus, adolescentiæ annos omnibus quidem disciplinis, in primis tamen Poësi, cui à natura addictus erat, in Parisiensi Academia consecravit. In fratres habuit Guillelmum Tauriensis provinciæ Præfectum, & Martinum Normandiæ Pro gubernatorem, Dominos *de Langey*, qui militaribus studiis, tractandisque magni momenti negotiis ac legationibus variis functi, bellica virtute literarum gloriam felicissimè cumularunt. Et quidem Guillelmus Historiam de rebus Gallicis; Martinus Francisci I. Regis res gestas perquam venustè & eruditè conscripsit.

Literis dedi-  
tus.

Joannes literis & eruditione fratribus haud inferior, ex Abbate S. Gildæ primò Episcopus Bajonensis anno 1532. renunciatus, postea Parisiensi, tum Lemovicensi Ecclesiis non sine laude præfuit. Annis nonnullis interjectis, regio suffragio petitus, rexit præter Cenomanensem cathedram, etiam Archiepiscopus Burdigalensem, magnâ semper, ut acta ferunt, sollicitudine & integritate. Orator ad Anglorum Regem Henricum VIII. missus, illud unicè summoque studio curavit, ut Henricum saltem, post vulneratam causam, in Romani Pontificis observantia contineret; quam conatus iste aliis intervenientibus causis (quas Morerius de Joanne nostro agens enarrat) frustraneus ceciderit.

Adscribitur  
Purpuratis  
Patribus.

Anno salutis 1535. Romam in causa Francisci Regis profectus, ipso Rege requirente Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cæcilie à Paulo III. hominis eloquentiam & eruditionem admirante adscriptus est, quo titulo progressu temporis relicto, illum S. Petri ad vincula; tum S. Hadriani, ac Chryfogoni; demùm S. Mariæ Transyberim obtinuit. Exinde Episcopus Cardinalis creatus, præfuit diversis temporibus primò Albanensi, mox Tusculanæ, deinde Portuensi, ac Ostiensi Ecclesiis: tandem, Joanne Petro Caraffa Cardinali ad summum Pontificatum assumpto, sacri Collegii Decanatu ornatus est. Prorex à Rege Francisco constitutus, cui charissimus erat, Lutetiam eo absente integerrimè rexit. Cùm verò idem Rex Anno Christi 1547. quinquagenario major, ex maligno ulcere circa sedem enato, in ignobili vico (cui *Rambuleto* nomen est) occubisset, Joannes Cardinalis, extincti Regis exequias maximo funeris apparatu in principe Basilica Parisiis celebravit, ac Regio tumulo eruditum hoc carmen Epitaphii loco adjecit:

OVI

P P O

GRA

*Gratia, forma, decus, probitas, facundia, candor,  
Religio, Charitum spes, amor Aonidum;  
Ingenij, atque animi vis admirabilis, uno  
Cuncta hac in tumulo, REGE JACENTE, jacent.*

*Ejus carmen  
in regium  
Tumulum.*

Fuit verò Franciscus I. Gallix Rex (ut hoc sacris ejus Manibus elo-  
gium addamus) adeò præclaris corporis animique dotibus orna-  
tus, ut nemo Gallix Procerum vel excelsæ staturæ proceritate, vel  
habiliū ad arma artuum firmitate, vel impavidi & semper constan-  
tis animi vigore eum adæquaret: nemo Regum candore animi, eru-  
ditione, clementia, & pietate anteiret: nemo denique mortalium  
præalto vividi ingenii lumine, & expeditâ, maximeque tenaci, &  
rerum & nominum, eum memoriâ superaret. Summa liquidem (ut  
Paulus Jovius attestatur) in eum naturæ aspirantis dona, Superi adeò  
cumulatè contulerant, ut certo & jucundissimo insignium virtu-  
tum concursu haud dubiè felix potuerit existimari, nisi eum tra-  
ctantem arma Fortuna Caroli V. ex professo tantis belli pacisque  
artibus adversa, sæpissimè fefellisset. *Multa, (inquit in vita Caroli  
V. Jacobus Masenius S. J.) in Rege Francisco cum civiles, tum religiose  
virtutes emicuerunt, quas tanta morum facilitate condierat, ut nec ab  
hoste contemni possent. Solâ, uti nemo est vitiorum omnium expertus, con-  
tractâ suspectâque cum fœminis quibusdam familiaritate, & susceptâ cum  
Carolo emulatione displicuit. Bella tamen cum Carolo ita gessit, ut cum nun-  
quam illi virtus & Consilium; fortuna nonnunquam defuerit. Par di-  
gnusque Europa totius imperio, nisi eodem illa tempore Carolum habuisset.  
Plura de Francisco Rege qui desiderat, Thuanum lib. 3. de gestis  
ejus; & Bellaium in fine historix Gallicæ consulat. Nos ad Joan-  
nem Cardinalem regrediamur.*

*Elogium  
Francisci I.*

Hic postquàm comitiis Apostolicis, in quibus Paulus IV. anno  
Domini 1555. Pontifex Maximus salutatus est, interfuisset, eum-  
que consuetis cæremoniis consecratum sacrâ thiarâ coronasset;  
quinquennium, quod ipsi supererat, variis lucubrationibus con-  
dendis impendit. Erat enim vir tam uberi tamque vivido prædi-  
tus ingenio, ut nullo negotio de quacunque re ex tempore præcla-  
rè diceret, & ad omnia scientiarum genera facilem, apertumque  
aditum haberet. Fatis concessit Romæ die 16. Februarii anno à  
partu Virginis 1560. ætatis octavo supra sexagesimum in palatio  
suo, quod juxta Diocletiani Thermas exquisita magnificentiâ con-  
struxerat: sepultus in Ecclesia SS. Trinitatis in Monte Pincio sitâ  
cum sequenti Epitaphio.

*Præcellens  
ejus ingenium*

*Ejus obitum*

*Bellaius jacet! ulterius ne quare, viator:*

*Sit satis & tumuli significasse locum.*

*Nos tumulum & lacrymas; ipse immortalia, scriptis*

*Carminibus, posuit sed monumenta sibi.*

Joannes Cardinalis Ecclesiam S. Hadriani Romæ à fundamen-  
tis restauravit, pristinaeque dignitati ac splendori, ut inscriptio  
præfert in epistyllis, reddidit. Parisiensem Academiam multis  
beneficiis & privilegiis illustravit, auctórque fuit Francisco Regi, ut  
eam ferè collapsam accersitis undique viris doctissimis ad pristi-

num decus revocaret. Cæteras ejus virtutes Janus Vitalis Poëta celebris culto hoc carmine breviter exposuit.

*Janus Vita-  
lis carmen  
in ejus vir-  
tutes.*

*Cui caput egregium Latialis purpura opacat,  
Pendet & aurato laurea culta tholo.*

*Quem cunctorum oculi Heroum admirantur, & unum  
Ceu solem observant sydera clara suum.*

*Ille animo insigni, insignis BELLAIUS ore,  
Atque oculis pulchras afflat honoris opes.*

*Sordidam avaritiam propriis splendoribus arcer,  
Et procul à laribus præcipit esse suis.*

*Ille sacrosanctos, totidem ceu numina, vates  
Invitat magnis sedulus officiis.*

*Carmina & ipse facit doctâ mirabilis arte,  
Qua possunt Clarium sola movere Deum.*

*Felix qua genuit talem sibi Gallia florem,  
Cujus & assiduus regna per Orbis odor.*

*Hunc lege regnorum clypeum, Rex Gallæ, tuorum,  
Fortunisque virum, si sapis, adde tuis.*

*Illi Consilium dubius in rebus, & illi  
Semper inest summo culmine summa fides.*

*Ejus scripta*

Scrispsit vir eruditus Carminum libros tres.  
Apologiam pro Francisco I. Rege Gallia.  
Orationes plures elegantes & terfas.  
Epistolarum volumen.

*De eo agunt Ludovicus Tricant. in vita M. S. Paulus Jovius lib. 35. Thuanus lib. 16. &  
26. Michael Hospitalis in Epist. Joannes Chenu de Episc. Gallia. Frizonius in Gall.  
Purp. Aubery in vita. Martinus Bellaius in Hist. Franc. Claudius Robertus in Gall.  
Christian. Morerius in Diction. Hist. Et alii plures.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

JACOBO SIMONETA

S. R. E. CARDINALE,

XLIII.  
*Nobilissimus  
ortu.*

JACOBUS Simoneta, nobilis Mediolanensis, qui ex gente nobilissima (Matthæo Valerio in elogiis teste) natus, præclaris ingenii sui dotibus supra genus ipsum emicuit. In patrem habuit Joannem Simonetam virum doctissimum, libris etiam editis clarum; in matrem verò Catharinam Barbavariam summæ nobilitatis ac prudentiæ matronam, multorum elogiis decantatam. Jacobus elegantis ingenii puer à primis adolescentiæ annis inter viros doctissimos versatus, brevi tempore tantum profecit, ut præter alias eruditi ingenii sui monumenta luculentissimum *de Reservationibus Beneficiorum* Tractatum in lucem ediderit, à Paulo Granutio deinde auctum, quo clariùs nomen ejus diffundi coeptum est, ut Julius II. Pontif. Max. celebri ejus virtutum famâ permotus, anno  
repa-

reparata salutis 1505. aula Consistorialis Advocatum elegerit, & inter Judices sacrae Romanae Rotae adnumeraverit. Auditor causarum sacri Palatii concilio Lateranensi sub eodem Julio II. interfuit. Leo X. in locum demortui Julii subrogatus, eundem Florentiam misit, ut cives inter se dissidentes sua singulari prudentia sedaret: quos non sine maximo labore quieti reddidit.

illum Clemens VII. 1529. Pisauriensem Episcopum in locum <sup>A Clemente VII. Cardinalis creatus.</sup> Paridis de Grassis elegit; eumque Paulus III. ob ingentia in sanctam sedem merita Presbyterum Cardinalem tituli S. Cyriaci in <sup>In Hen. VIII. sententiam tulit.</sup> Thermis; mox S. Apollinaris nominavit; ac Perusinum Episcopum creatum, cum aliis Cardinalibus pro rebus ad Concilium spectantibus deputavit, atque Signaturae Gartiae praefecturam insignivit. In Henricum VIII. Angliae Regem ob legitimam ab eo uxorem repudiatam districtam egit censuram, atque in eundem sententiam libertate viro Apostolico dignam tulit. Discordias & simultates inter Florentinos & Senenses ob Montispolitani dominium & possessionem natas, arbiter datus mira dexteritate sustulit.

Obiit Romae die 1. Novembris anno 1539. postquam amplissimis pro Ecclesia DEI muneribus perfunctus esset. Ejus cineres in aede Sanctissimae Trinitatis ad Montem Pincium absque inscriptione quiescunt. Praestantissimi hujus viri nonnulla extant opera typis nondum vulgata, ut habet Nomenclator Cardinalium, quae vero ea sint, aut quo titulo praenotentur, non indicat relatus Author. Eum Jacobus Sadoletus Cardinalis in epistolis passim laudat, *virumque multarum scientiarum gloria insignem, ac in omni dicendi facultate opulentissimum* appellat. <sup>Ejus mors.</sup>

Notandum hoc loco, nonnullos haud spernendi nominis auctores Jacobum Simonetam cum Joanne ejusdem cognominis perperam confundere; atque adeo primi opera secundo, secundi primo adscribere. Ad errorem hunc evitandum, sciendum est, Joannem Simonetam Jacobi patrem fuisse, qui Francisci Sfortiae res gestas, elocutione, texturaque operis Julium Caesarem alludendo imitatus, Latine perscripsit. Erat vero Joanni Simonetae germanus frater nomine Cichus, qui Galeacio Sfortia a conjuratis interfecto, quum pupilli incorrupta fide tutelam suscepisset, nefaria ambitione Ludovici patris captus, damnatusque fatalis constantiae suae abscissis cervicibus poenam subiit, mitiore aliquanto fortuna erga Joannem, quum in eadem quaestione acerbitate diu tortus evaserit, valido scilicet apud Tyrannum pudore, ne videretur ingrater sublati, qui patrem summam virtutis Principem, ne unquam interiret, beneficio literarum immortalem effecisset. Hinc mordax illud Joannis Latomi epigramma. <sup>Perperam confunditur cum Joanne Simone.</sup>

Quid, Simoneta? negas gratiam,  
Qui de Tyranni non ita es meritis patre?  
At dira fratrem quaestio jam absorbit.  
Et tu perieras: Sed datum hoc est gratiae,  
Tormenta quod post multa non occideris;  
Nam ut innocentem te probes, nihil egeris.  
Immo, inquis, est relata; sed tyrannica.

Latomus  
mordaciter  
eum incessit.

*Jacobi Cardinis Simonetæ memoriæ agunt Panyinius de Rom. Pontif. Aubery in vita, Paulus Morigia de Nobil. Mediolan. Felix Contelorus in Elencho Carâ. Joan. Baptista Laurus in Hist. Perus. Victorellus & Ughellius in addit ad Ciac. & alii.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

JOANNE FISCHERO  
S. R. E. CARDINALE.

**XLIV.** **J**OANNES Fischerus, natione Anglus, Benerlaci Diœcesis Eboracensis oppido, anno nostræ salutis 1459. natus est honestis parentibus, quorum curâ optimis magistris pietate ac bonarum artium studiis erudiendus traditus, utraque dote mirum in modum excelluit. Ejus pater Robertus Fischerus, mercator honestus & mediocri fortunâ præditus, moriens filium hunc reliquit impuberem, qui matris ac propinquorum pia sollicitudine positus apud quendam Sacerdotem Ecclesiæ Benerlacensis rudimentis, liberales artes egregiè & accuratè perdidicit; quibus postea linguarum Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ notitiam pari sedulitate adjunxit. Inde ad graviora studia animum conferens, in Cantabrigiensi Academia Philosophiæ ac Theologiæ disciplinis totum se addixit, tanto quidem profectu, ut per omnes gradus paulatim ad magistrerii apicem conscenderit, & sacerdotali charactere initiatus Doctoris lauream in ipsa Cantabrigiensi Academia sit consecutus. Mox Collegio D. Michaëlis Archangeli, cujus olim alumnus fuerat, præfectus, illud per biennium summa cum laude, vitæque integritate adeo dextrè sanctèque rexit, ut inde avocatus, totius Academiæ Rector & Cancellarius communibus suffragiis electus fuerit. Quibus in muneribus, cum ejus virtus tanquam è sublimiori theatro radiis clarioribus effulisset, à Margaretha Comitissa Regis Henrici VIII. matre, ac sancti animi principe sæmina, eo fine in familiam suam adscitus est, ut suæ suorûmque conscientiæ arcanis arbiter præesset, cujus ipsa suasu atque consilio duo insignia Collegia Cantabrigiæ regio sumptu fundavit; & Oxonii sacre Theologiæ dogmata magno universæ Britanniæ fructu doceri & explanari publicè fecit.

*Fischerus quis?*

*Linguarum peritiam comparat sibi.*

*Fit Doctor.*

*Academiæ Rector.*

*Ecclesiæ Rossensi præficitur.*

Ab Henrico VII. veræ pietatis & fidei laude claro, perspectâ Joannis eruditione ac sanctimonia ad Ecclesiæ Rossensis gubernacula moderanda anno 1504. vocatus, gregi sibi commisso tanta morum integritate, doctrinâ, indefesso labore, profusisque largitionibus præfuit, ut omnibus jure summæ admirationi esset. Carceres enim invisere, vinctos solari, Xenodochia, & privatas decumbentium, ac desertorum civium ædes circumire, idque præsertim solemnioribus vigiliis; domi peregrinos excipere, hominésque literatos amplecti, suas esse partes intelligebat. Cùmque idem Rex meritorum ipsius intuitu ad Lincolnensem & Eliensem Episcopales cathedras

Cathedras Roffensi multò opulentiores illum efferre voluiffet, abnuit Joannes, nec unquam adduci potuit, ut prioris fuæ sponfæ paupertate rejecta, aliam fibi locupletiore[m] superinduceret. Rexit ergo Roffensem Ecclefiam annis tribus fupra triginta, eamque piis adeò curis, laboribus, jejuniis, vigiliis, eleemofynis, aliisque id genus Epifcopo dignis muneribus, ac memorandis exemplis ornavit, ut eundem tanquam virum cœlo delapfum omnes amarent, atque fufpicerent. Sacris namque precibus, ac rerum cœleftium mediationi affiduè vacabat; corpus inedia, flagris, atque cilicio atterebat; crebrò quoque carceres, & Nofocomia, in iisque detentos vifitabat, ac folabatur; egenorum, aut quovis modo afflictorum domos civitatis fuæ luftrans, confilio, ope, ac ære etiam parato, aliisque Chriftianæ pietatis & charitatis officiis, ubi neceffitas virum poftularet, fingulis aderat. Peregrinos hospites, aut Chrifti caufâ exules, quotidianâ menfâ excipiebat, iisque cibos plerumque lautos & exquisitos, fibi verò viles & craffiores apponî faciebat, ut charitatem vir pius ac fobrius abftinentiâ cumularet.

Zelo autem animarum, & Apoftolico Spiritu exæftuans, glifcentem per ea tempora Lutheranam hærefim, quâ concionibus *glifcentia, ut Lutheranæ hærefim a e-* efficaciffimis, quâ libris eruditiffimis repreffit, & novæ hærefeos *heresim a e-* veneno novum ac præfentiffimum doctrinæ fuæ pharmacum ap- *primis.* pofuit. Ipsi verò Lutherani in illum confurgentes, ac infanientes tot lucubrationum ab eo editorum volumina igne abfumpferunt, quot robustus equus jufto onere bajulare poftet, ut teftatur Joannes Pitæus. In Catholicorum quoque depravatos mores vir zelo Dei plenus invectus eft; ac imperterrito animo Regem ipfum aliquando reprehendit, & in publico concilio à Volfæo Cardinale Legato, Eboraci congregato de relexata Cleri difciplina feverè expoftulavit, atque ipfius Cardinalis luxum & faftum, ambitionemque non obfcurè notavit. Inde fibi ejusdem creavit invidiam, qui ab eo tempore non ceffavit in Joannem Regis Henrici VIII. animum confictis calumniis concitare, cui quamvis aliàs fuiſſet acceptiffimus, cum illum omnium Europæ Theologorum eruditiffimum non femel publicè prædicaffet, ejusque partus fuiſſe credatur vulgò Commentarius ille de feptem Sacramentis fub ejusdem Henrici nomine adverfùs impium Lutherum conſcriptus, pro quo etiam, poſteà ab eodem hærefiarcha impugnato, reſponforiam feu apo- logeticam ſcripfit epiftolam, tandem Volfæi artibus ac impoſturis factus eſt ingratus & odioſus: Quod quomodo contigerit, paucis hoc loco aperiam.

Animadvertens Volfæus Cardinalis, qui vnus omnia tunc in *Volfæi ne-* regno poterat (vir aliàs ad patriæ fuæ, imò & Ecclefiæ excidi- *fanda va-* um natus) Henricum Regem turpi amore captum, non modò re- *frities.* gix cupiditati non obſtitit, aut à nefanda illum confuetudine abſterruit, fed potiùs, ut fe in ipſius gratiam magis magisque per fas aut nefas inſinuaret, ejusdem libidinem palpans fuafit, ut Catharinam Ferdinandi Regis & Elifabethæ Hispaniarum Reginae filiam, lectiffimam fæminam, Arthuri olim fratris fui relictam (quam ex Apo-

Apostolica dispensatione ipse postmodum sibi in uxorem desponderat) thoro dimitteret, ejusque loco adamatum scortum Boleniam reciperet. Nec multo post sententiâ infausti illius divortii à Thoma Cronmero Archiepiscopo Cantuariensi, qui prius Annæ Boleniæ à sacris fuerat, totusque ab ejus voluntate ac nutu pendeat, pronunciatâ, optatis nuptiis Rex malesanus potitus est, prodiitque libellus decreto regii Senatûs edito, qui totius rei factæ rationem redderet. Sed Roffensis incorrupti animi vir, & sententiam, & libellum omninò improbavit; quin & eâ de re ipse volumin à se conscriptum obtulit Cardinalibus Legatis Volsæo atque Compegio, quo pluribus argumentis nervosè ostendit, ad solum Pontificem pertinere de hujusmodi causis judicare; nec potuisse humanâ ullâ auctoritate sacrosancta initi cum Catharina matrimonii jura violari, aut quovis pacto abrumpi.

*Improbat  
acta schis-  
matis Ang-  
licani.*

*Anna fu-  
rens, ut al-  
tera Jeza-  
bel.*

Quantum id Annæ pellicis nuper ad regium thronum admixtæ displicuerit supervacaneum est dicere; quæ impotenti odio in virum sanctum tanquam altera Jezabel in Eliam Prophetam; aut Herodias in Joannem Præcursores Domini inflammata, cogitansque quo pacto alterum Joannem, puta Roffensem è medio tolleret, quendam ipsius coquum, qui sancto Antistiti venenum pararet, multo auro corrupit, atque induxit. Verùm divinâ providentiâ factum, ut eâ die præter consuetudinem privatim pranderet Roffensis, sicque periculum, quo multi è familiaribus suis inopinatò extincti sunt, evaderet. Cum igitur clancularium illud consilium Boleniæ ex voto non successisset, confugit ad aliam artem mulier detestabilis non minùs perniciosam: Induxit enim Regem ad sancendam legem, qua omnes (Clerici præsertim) idem Sacramentum Regi præstare tenerentur, quod ipsi Papæ facere consueverant. Id cum à Roffensi præ omnibus exigeretur, ut erat & dignitate & virtutis opinione præstantissimus, ac in regno præcipuus, primâ fronte rem propositam ut immunitati Ecclesiasticæ repugnantem averlatus est. Sed ubi perpendit, quantæ strages inde orituræ essent, quantoque innocentum sanguine Angliæ foedanda, si regiæ voluntati saltem in aliquo non obtemperaret, innoxium, ut putabat, juramento, quod ab eo expectabatur, hoc temperamentum apposuit, quatenus scilicet divinis legibus, sacrisque Canonibus licitum esset.

*Henricus  
Ecclesie  
Anglicane  
caput vult  
dici, & ha-  
beri.*

Verùm cum inde Rex occasionem sumpsisset, omnes Episcopos, & Abbates in suam pertrahendi sententiam, quòd arbitrarentur Roffensem divortio subscripsisse; ac in eam tandem insaniam erupisset ipse Henricus, ut se Anglicanæ Ecclesiæ caput esse jactaret, haberique vellet; atque ad majorem divortii sui confirmationem exhæredatâ Mariâ Principe Catharinæ filiâ, Elisabetham, quam ex Bolenia pellice susceperat, veluti legitimam regni hæredem omnes agnoscere; & Romani Pontificis auctoritatem toto Angliæ regno abjurare cogeret, præsertim cum lata in se à Clemente VII. majoris excommunicationis sententiam accepisset: tunc Roffensis facti pœnitens, religione tactus, quòd fortasse, ne Regis gratiam amitteret, aut ejus iram provocasset, conscientiam  
suam

suam eo modo ad aliquid mitius, & aulæ regis desiderio conformius accommodasset, indeque scandali plurimis ansam præbisset, pudoris stimulo majori reparans certamina, atque ex lapsu isto incitator factus, aperte deinceps Regi, ejusque ministris restitit, audacter significando; malle se obedire Deo, ejusque Vicario, qui matrimonium cum Catharina contractum, firmum & validum declarasset, quam hominibus ut plurimum laicis (Anglicani scilicet Parlamenti Senatoribus) spe aut metu ad ferendam impiam sententiam adactis, qui è contrario nuptias cum Anna incestuosa muliercula contractas ratas pronunciaverant; omninoque firmiter sibi constitutum esse, jurandum à Rege propositum de primatu Romanæ sedis in Angliâ abolenda, rejicere.

Quam ob rem vir sanctus, cum in dies magis magisque impii Regis decreto obsisteret, Henrici jussu à satellitibus comprehensus est, qui cum in ejus ædibus magnam prædam se facturos esse sperarent, quod eum à multis annis Episcopum esse, & largas eleemosynas quotidie facere didicissent, indeque suspicarentur multis illum affluere divitiis, omnes arcas ac reconditoria, reclusis vi feris per vestigarunt. Sed frustrata est atque confusa sceleratorum prædonum rapacitas, utpotè qui nihil penè signatæ pecuniæ, vel pretiosæ suppellectilis ad explendam avaritiæ suæ sitim, sed tantum sacrorum librorum copiam, flagràque atque cilicia, & alia id genus castigandæ carnis instrumenta invenerunt, quibus pius Antistes senile corpus, jamque annis & studiis, aliisque sanctis laboribus & curis fractum affligebat, paucissimosque nummos ad moderatum familiæ usum, & pauperum alendorum subsidium repositos. Spe igitur sua frustrati exertis gladiis sanctum Præfulem circumsteterunt, injectisque mox laqueis, eum per compita trahentes arctæ custodiæ mandarunt, exspectantes interim si fortè animum ad Regis obsequium mutaret; aut longo carceris cruciatu, squallore & ærumna, ejus constantia frangeretur. At nihil potuerunt adversus magnanimum beati viri pectus minæ, terroresve, aut blandimenta humana; quin potiùs divinâ virtute fortior redditus, in eodem, quo antea, proposito firmus atque immutabilis perstitit.

Interjectis hoc modo quindecim diebus, cum nihil à constantia remitteret, jussu Tyranni, Judicum sententia in eum prolata est, quæ læsæ majestatis reus declaratus, quod pro Ecclesiæ Romanæ libertate pugnasset; divortium à Rege factum improbasset; & Romani Pontificis primatum calamo & viva voce temerariè asseruisset, capitis damnatus est. Ille imperterrito vultu auditâ mortis sententiâ ad impios Judices conversus, sic eos affatus proditur: *Viri Proceres, ultimo à vobis supplicio quasi læsæ majestatis reus adjudicatus sum; quia pro Deo, & Ecclesiæ veritate steti; quia damnatum legibus divortium Regis improbavi; quia primatum Vicarii Christi supra Regem asservi: at quo juris ordine, qua justitia, quâ ratione, judicet Deus optimus maximus inter me, & vos, cui vestrorum Regis ipsius cordium inspector rem omnem intactam relinquo, meque totum divina illius voluntati committo. Divortium à Rege perperam factum, quod attinet, non ego dumtaxat, sed & leges, & Christi dogmata damnant. De regio primatu, sentio ut semper sensi, & nunc palam affirmo &*

Furenti impetu sanctissimi Præfulis domus invidetur.

Damnatus capitis.

Ejus oratio Spiritu S. plena, ad Iudices.

*nec posse, nec debere auctoritatem in Ecclesia Dei Regem sibi vindicare; neque hactenus unquam auditum, terrenum aliquem Regem id sibi arrogasse, immò portento simile videri, hominem laicum status Ecclesiastici caput esse. Pro hac veritate tuenda paratus ad supplicia confisso, libensque morior.*

Roffensis sit  
Cardinalis.

Inter hæc Paulus III. summus Pontifex audiens quæ pro Romani Pontificis primatûs defensione sustineret Roffensis, illum, dum in carcere detineretur, anno post Christum natum 1535. XII. Kalend. Junii sacrâ purpurâ insignivit, & Presbyterum Cardinalem tituli S. Vitalis creavit, quem Titulum Godwinus Anglus Scriptor haud sincerus Catholicus *lethalem* ei potius, quàm *vitalem* fuisse nugatur. Ornavit ergo illum sanctissimus Pontifex sacrâ purpurâ, tum ad novum huic viro (quo nihil habebat eo tempore Christianus Orbis illustris) decus addendum; tum ad præmium ejus virtuti, fidei, atque constantiæ referendum; tum quod speraret Pontifex (ut in literis Apostolicis, quas ad varios Principes reipublicæ Christianæ de ejus promotione, & postea nece adversus Henricum scripsit, attestatur) Episcopalem dignitatem accessione sacræ hujus purpuræ, quæ ubique solita est haberi sacrosancta, cumulatam, ad salutem & liberationem ejus esse valituram. Sed è contrario accidit. Nam Rex impius, cum audisset Joannem Cardinalium cœtû à Paulo adscriptum esse, multo magis in eum excanduit, & ne decreto honore potiretur, mortem ejus accelerari jussit; *Mittat, inquit, suum galerum Paulus cum volet, ego interim operam dabo, ut cum appulerit, Roffensis caput, cui ille imponatur, non habeat.* Sanè Cardinalitius pileus Româ transmissus, à Calatensis Urbis præfecto, quæ tunc Anglis parebat, jussu Regis detentus in Angliam non pervenit; sicque capite minutus priusquam roseum pileum à Pontifice acciperet, ipsius loco gloriosâ martyrii coronâ à Deo redimitus proprii cruoris purpurâ triumphavit.

Nihil mor-  
tis sententiâ  
turbatus.

Cæterum post latam in se capitalem sententiam Joannes Cardinalis renunciatus, nihil profus animo consternatus, nihilve turbatus, ardentissimis ad Deum precibus per triduum vacavit. Die verò ad supplicium destinato, pro interiori tunica cilicina, quam ad carnem gestare solebat, subuculam mundissimam clam secum deferri curavit, ac vestimenta, quæ habebat ornatiora induit: quod cur faceret, admirantibus & scilicitantibus respondit: *Hic est nuptiarum mearum festus dies, in quo proinde majori me cultu foras prodire convenit.* In lectulo securissimè eodem die usque ad horam benè matutinam dormivit; à somno excitatus lac pro jentaculo petiit. Ut verò ad scenam, in qua gloriosum certamen consummaturus erat, pervenit, cum theatrum ferale conscenderet, abjecto, quo tum ob ætatis longævæ, tum ægritudinis, quam in carcere contraxerat, molestiam, sustentabatur baculo, *Eja, inquit, pedes, officium facite, brevis vobis nunc restat via.*

Oratio ejus  
ad populum  
in loco sup-  
plicii.

Constitutus itaque in loco martyrii, populum, qui sine numero ad tam horrendæ cædis spectaculum videndum ex omni parte confluxerat, his verbis est allocutus: *Ecce fratres charissimi, hic adsto pro DEO & Ecclesia Catholica mortem mox subiturus: nullum hucusque ejus horrorem, aut animi perturbationem, DEO me confortante,*

per-

*Perfensi: sed quia continuo gratiâ ejus, & misericordiâ in tantis angustiis eget mortalis infirmitas, oro vos, ut me orationum vestrarum subsidio juvetis, quatenus in hoc cruenta mortis articulo absque ulla trepidatione, aut vacillantis animi notâ, in confessione sui nominis, ac fidei fixus, firmusque permaneam. Causa, pro qua cado, justa & sancta est, ipsi scitis, Deum enim & Ecclesiâ auctoritatem concernit, pro qua, si mille vitas haberem, mille profunderem: nunc autem hanc, quam unicam habeo, libens consecro. De cæterò Deum ipsum immortalem obtestor, ut vos omnes perenni suspirate & incolumitate donet; regnum ac Regem servet, eisque mentem meliorem, & sanum ac salutare Consilium suppeditare dignetur. Quibus magna animi alacritate, vultuque constanti prolatis, oculos in cœlum erigens, triumphale illud Canticum *Te Deum laudamus*, quo Ecclesiâ sancta in solemnioribus festis, & omnibus publicæ hilaritatis exhibitionibus utitur, in suæ præsentis hujusce lætitiæ testimonium cecinit. Postea Psalmo *In te Domine speravi* recitato, aliisque ignitis orationum jaculis in cœlum, quò tendebat, præmissis sanctam cervicem securi demetendam objecit; qua abscissâ animam Deo, pro cuius nomine occubuit, consignavit; atque immarcescibilem coronam justitiæ, fidelibus omnibus repositam accepit.*

Mortem hanc subiit Joannes Cardinalis Roffensis Londini die 22. Junii anno Christi 1535. ætatis suæ septuagesimo. Corpus nullo tectum velamine in Cœmeterio omnium Sanctorum toto illo die jacuit inhumatum, nemine illi sepulturæ officium impertiri audente ob Regis metum, cui postremis temporibus admodum invisus redditus fuerat, donec tandem à militibus ipsis, ejus vitæ sanctitatem exploratam habentibus, tumultuario sepulchro terræ mandatum est. Sacrum Martyris caput à lictore hastili impositum in ponte Londinensi propè Carthusianorum paulò antè eadem de causâ cæsorum <sup>Caput accisi</sup> capita expositum, ac transeuntium oculis objectum, post totos quatuordecim dies non solum non contabescere, sed etiam efflorescere, <sup>mirabili de-</sup> pulchriusque ac vividius, quàm cum esset corpori junctum, <sup>core, & odore præditi.</sup> visum est, ipsosque prætereuntes aspicere & alloqui, ac suavem quendam spirare odorem, quamvis prius ferventi aqua fuisset decoctum, ut plus horroris & deformitatis haberet. Ad quod contuendum cum innumerabilis hominum multitudo tota urbe & regno accurreret, ne plebs ad commiserationem & reverentiam damnati à Rege & Anna concubina capitis commoveretur, Regii Concilii jussu noctu sublatum & abditum est, vel secundum alios in fluvium Tamesim projectum, ut nullum ejus memoriæ vestigium remaneret. Referunt probati authores, ad capitis Joannis aspectum Annam pellicem insultando dixisse: *estne hoc os illud, quod in me toties bacchatum est? certè nunc conticescit, nec amplius nocebit.* <sup>Impium Be-</sup> Quo dicto illud extrema manûs parte percutiens, à prominen- <sup>lenæ in sa-</sup> tiori dente, in digito vulnus accepit, <sup>crum Roffen-</sup> <sup>sis caput</sup> cuius etsi levis, cicatrix ta- <sup>Scommæ.</sup> men deleri nunquam potuit. Terra autem, in qua beati Martyris <sup>Ejus mirum</sup> truncum corpus fuerat tumulatum, per septem integros annos <sup>vulnus in</sup> pedibus protrita, vel sale feminata, nec folium, nec germen ullum <sup>digito in pæ-</sup> protulit, aut virore aliquo ridere visa est. Tanti verò facinoris <sup>nam attali</sup> nuncio Romam allato, Paulus Pontifex justâ indignatione com- <sup>S. Capit.</sup>

motus de Henrici Regis immanitate per literas, ad universos Reges & Principes datas, conquestus est: quibus id effecit, ut Henrici deinceps nomen diris devotum, omnibus Christi cultoribus execrationi & odio esset.

*Illius scripta.* Multa reliquit ingenii sui ac doctrinæ monumenta vir martyrio illustris, quæ Theologorum omnium manibus ut plurimum teruntur, eorundemque judicio solidam spirant ac sapiunt pietatem & eruditionem. Hæc autem quæ sequuntur, ejus opera ad nos pervenerunt.

Epistola responsoria ad Epistolam Lutheri.

Contra captivitatem Babylonicam Lutheri ad Epif. Eliensem.

Confutatio Articulorum Lutheri, quos Leo X. damnaverat,

Defensio Sacerdotii contra eundem Lutherum.

De veritate Corporis & sanguinis Christi contra Oecolampadium, & Richardum Epif. Vuintoniensem.

Pro damnatione ejusdem Lutheri.

De unica Magdalena contra Jacobum Fabrum Stapulensem.

Additiones de Magdalena.

De fructu Orationis.

Expositio Orationis Dominicæ.

Commentarius in 7. Psalmos pœnitentiales.

Concio de Passione Domini ad sororem Elisabetham.

Concio de Justitia Phariseorum & Christianorum.

Methodus perveniendi ad summam perfectionem Religionis, ex carcere ad sororem: quæ quattuor postremæ lucubrationes idioma Anglico conscriptæ à Joanne Fennio in Latinum sermonem versæ sunt.

Epistola de Charitate Christiana.

De necessitate orandi Tractatus.

Psalmorum & Precationum fasciculus libro uno comprehensus.

De Purgatorio.

Defensorium matrimonii Henrici Regis cum Catharina Hispana.

Convulsio Veleni, qua ostenditur S. Petrum Romæ fuisse.

Omitto hic recensere volumen de VII. Sacramentis contra Lutherum scriptum, quod sub Henrici Regis nomine prodiit: cum incertum sit Koffensem ejus operis si non auctorem, certè adjectorem fuisse. Prætermisi etiam librum *De Fiducia & Misericordia Dei*, qui falsò ei tribuitur, ac in Indice Romano prohibetur: quem Bellarminus alterius Joannis Fischeri esse arbitratur.

Scripsit etiam Matris JESU MARIÆ carmen, seu Paraphrasin in Canticum B. Virginis *Magnificat.*; nec non de Nativitate Virginis luculentissimum sermonem: Concionem item Londini habitam, quando libri Lutheri publicè combusti sunt. Notat insuper Pitæus tot ejus M. SS. libros ab hæreticis igni traditos fuisse, ut supra notavimus, quot robustus equus justo onere portare potuisset.

*Ejus Encomia.*

Cæterum innumeros habuit Cardinalis Fischerus virtutum suarum præcones, quorum hic ego non nisi unum, alterumve in medium producam.

ducam. Magnus ille Stanislaus Cardinalis Hofius libro tertio *de aucto-  
ritate sacrae Scripturae* hoc eum exornat elogio: *Nec hoc infelici nostro seculo* Hofii laudes  
de Cardin.  
Roffensi.  
*defuit Ecclesia sua Deus; nam cum erupissent Lutherani, & ex iis nati Zwin-  
gliani, & alia plurima haereticorum portenta, produxit contra eos in aciem  
Deus multos ingenio & doctrina excellentes pugiles, per quos insana illorum  
rabies comprimeretur. Inter alios insignem illum eruditione, pietate, &  
vita sanctimonia virum Joannem Episcopum Roffensem, qui pro fide, atque  
Ecclesia Catholica vitam etiam suam cum sanguine profundere non dubitavit.*

Thomas Morus, paulò post Roffensem martyrio coronatus, Item Thomae  
Mori.  
præclaris eundem laudibus extulit: in quadam Epistola ad ipsum  
Roffensem data hæc habet: *Gaudeo profectò, quantum non queo scribere  
cum tua, tum etiam patrie causa, eum esse paternitatis tuae stylum, qui possit  
Erasmicus videri. Certè causam sic præterea tractasti, ut ne decem quidem  
Erasmi potuerint absolutius. In qua Epistola eum vocat; Præsulem  
optimum, & virtutis & doctrina gratiâ maximè suspiciendum. Alibi sic  
scribit de eodem: Virum illum ita revereor, ut planè ei parem in toto  
hoc regno non esse existimem; seu prudentiam, seu eruditionem, seu spe-  
ctatissimam pietatem spectes. Denique cum ad supplicium exiret Mo-  
rus, diè inque jam mortis, vel potiùs veræ vitæ sibi adesse cogno-  
sceret, sublatis in coelum oculis, hæc ad Deum dixisse fertur: Fa-  
teor Domine, me tanta gloria indignum esse, ut in beato illorum nume-  
ro recensear, qui pro Ecclesia tua sanguinem suum fuderunt: non sum justus,  
nec sanctus, ut servus tuus Fischerus, quem elegisti:* Tho. Morus  
gloriosè  
mortuus.

Erasmus quoque in suis Epistolis Roffensem non semel egregiè  
dilaudat & prædicat: In Epistolarum una hæc habet: *Reverendus  
Episcopus Roffensis, vir non solum mirabili vita integritate, verum eti-  
am altâ & reconditâ doctrinâ, tum morum quoque incredibili comitate  
commendatus, maximis pariter ac minimis, atque his nominibus aliquan-  
do Henrici Regis, qui nunc Angliam moderatur, avia paterna Marga-  
ritha egregiè charus, & à confessionum secretis &c. Et alibi: Aut e-  
gregiè fallor, aut is est unus, cum quo nemo sit hac tempestate, vel integri-  
tate vitæ, vel eruditione, vel animi magnitudine comparandus. Virum si  
verbo describam, dicam eum Episcopalibus virtutibus suffarcinatissimum esse.*

Andreas Victorellus talem fuisse Joannem Fischerum prædi-  
cat, quo nullum Britannia multis annis candore, robore animi, &  
sacrarum literarum cognitione præstantiorem tulit. Unde subjun-  
git: *Celebrabitur profectò omnifutura etate Antistes illustrissimus, idem-  
que Christi pugil invictissimus, qui suo exemplo sanctorum Martyrum for-  
titudinem emulatus, Christi Domini fidem, sanctæ Sedis Apostolica digni-  
tatem, universaq; Ecclesie doctrinam & auctoritatem, & vivens defendit,  
& moriens suo sanguine consignavit. A Stapletonio dicitur: Britan-  
nia lumen ac sidus ab Henrico Rege extinctum. A Paulo Jovio; Ani-  
mi pietate, candore, constantiâ, præcis illis sanctissimis Christiani orbis &  
Ordinis Patribus comparandus. Sed ne æquò sim longior, plures de  
industria prætereo incomparabilis viri præcones.*

Merito ergo S. Carolus Borromæus Cardinalem Roffensem S. Caroli  
Borromæi  
encomium  
in Roffense.  
pari fermè cum D. Ambrosio cultu ac veneratione profecutus,  
utrumque docto penicillo ad vivum depingi fecit, ut illos tan-  
quam vitæ suæ duces, ac morum exemplaria continuo præ ocu-  
lis

lis haberet. Nec injuria idem Joannes Roffensis à nonnullis comparatur Joanni Baptistæ: ambobus enim fuit commune nomen; ambobus eadem fors & casus, qui capite truncati pro veritate & justitia similiter occubuerunt; utrobique ab adulteris justus occiditur; utrobique odium peperit veritas, nec potuit æquo animo tolerari, quod homo DEI sanctus, impollutus, & à peccatoribus segregatus monebat. De hac comparatione non infulsè cecinit Franciscus Bozius Congregationis Oratorii sacerdos.

*Carmen  
Bozii in  
laudem e-  
jusdem  
Cardinalis.*

*Proh scelus! heu Vates submittit colla securi!*

*Pellicis Herodes sic jubet ob furias,*

*Quid mirare? novum potius mirare Tyrannum,*

*Qui renovat caco captus amore scelus.*

*Pellicis Henricus stimulis agitatus inique*

*Imperat abscindi Praefules ense caput.*

*Quin multos uno miserando vulnere tollit;*

*Quid non insanus pectora cogit amor?*

*Morte alter similis, tum nomine; sed scelere alter*

*Pejor, nec prorsus nomine dissimilis.*

Eruditus quoque Latomus apud Paulum Jovium in elogiis, & apud Augustinum Oldoinum in vita, Roffensis Cardinalis nomen hoc epigrammate celebravit.

*Item Lato-  
mi.*

*Quum te sancte Senex infami morte Tyrannus*

*Perderet, aeternis objiceretque probris;*

*Perdere non potuit titulis celestibus auctum,*

*Turpiter aut fama consuluisse tua.*

*Quin luit aeternum scelus exitiale, pudendum*

*Sæpe sibi, & populis reddidit ipse suis.*

*Postea, nam dicet, quæ talia legerit atas,*

*Anglia bina uno tempore monstra tulit.*

Refert etiam Joannes Pitæus cujusdam Gregorii Martini bina listicha non inelegantia, quæ, quia prolixa non sunt, lectori Catholico esse fastidio non possunt.

*Dum mihi Martyrii cedit diadema securis,*

*Quæso meum teneas, ô bone trunco, caput.*

*Aliud ejusdem.*

*Ne tu desereres verum Caput, Anglia, Christum*

*Pontificum caput, hic spontè relinquo meum.*

Habes item apud Andream Victorellum aliud epigramma haud invenustum de Henrico Rege, Thoma Moro, & Joanne Roffensi.

*Cur bonus in prima florens, Henrice, juventâ*

*Impius in tenebris ultima fata trahis?*

*Nempè quia extincti duo maxima lumina regni*

*Roffensis Phæbus, Cynthia Morus erat-*

*Praefuit ille sacris, terrenis praefuit iste;*

*Extinctis pereunt sacra profana simul.*

Hæc mentionem agunt Paulus Jovius in elogiis. Robertus Bellarminus in epistol. ad Episcop. Anglia. Joannes Pitæus de reb. Anglicis. Jo. Leslé de orig. Scotor. Hieronymus Polinus in Hist. Anglic. Aubery in vita. Antonius Sanderus in elog. Cardin. Contelorius in Elencho Card. Nicolaus Sanderus de Schism. Anglic. Spondanus in Annal. Eccles. Andreas Saussay in Continuat. de Script. Eccles. Moreyus in Dict. Hist. Et alii plurimi.

ANNO

ANNO 1534.

SEDATE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO,

De

## GASPARE CONTARENO

S. R. E. CARDINALE.

**G**ASPAR Contarenus clarissimo genere Venetiis Aloyfio <sup>XLV.</sup> Contareno, & Polyxena Malipetria fœmina primaria natus est anno ab orbe redempto 1483. Is ab insigni memoria, illustrique doctrina, linguarum cognitione, corporis ac ingenii castitate mirabilis, ad Rempublicam, Patrum suffragio expetitus, ita accessit, ut gravitate judicii consummata prudentiæ Senatoribus æquaretur; atque inde maturata maximarum legationum munera tum ad Cæsarem Carolum, tum ad Gallix Regem, aliosque Principes ac Respublicas pacis confirmandæ causâ capesseret, non ætatis quidem, sed unâ virtutis prærogativâ commendatus. Juvenis enim tanquam perfectus Peripateticus Aristotelem ab impacta calumnia defenderat (quamquam modestiæ causâ suppresso nomine) adversus Petrum Pomponatium præceptorem, quum ille si non insano, impio tamen conatu animas nostras interire cum corpore ex Aristotelis sententia persuadere libro edito contendisset. Tunc, inquam, consurgens Contarenus juvenis adhuc (trigesimum enim tertium ætatis annum vix dum inchoaverat) edidit libros duos contra judicium Pomponatii doctoris sui de immortalitate anime insignitos, quibus luculenter admodum & eruditè ostendit, Peripateticorum principem longè aliter, atque Pomponatius evincere nitebatur, eâ de re sensisse; viderique potius immortalitate donatas animas Aristotelem voluisse, cujus opinionis antea Plato, unde didicerat, sine ulla dubitatione fuerat. Argumenta autem illa firma ad probandum & gravia fuisse, opusque totum valdè elaboratum ex eo liquet, quod Pomponatius, acutissimus licet Philosophus, in libro (quo defendit illam suam opinionem, à Contareno impugnatam) apertè fateatur, *Adversaris sui Opus & doctissimum & uberrimum esse omnium, qui omni tempore materiam illam prosecuti sunt.* Additque paulo post; *videri prorsus, Opus illud divinâ operâ & manu fabricatum fuisse.* Marcus Antonius Flaminius illustris vates subjectis versibus illud extulit.

Contarene, tuo docuisti, Magne, libello

*Extinctis animas vivere corporibus:*

*Ergo jure tui vivunt monumenta libelli,*

*Et vivent seclis innumerabilibus.*

Appulit exinde Contarenus ingenium ad sacras literas ad eò diligenter, ut ad normam Christianæ disciplinæ duos libros de optimi Antistitis officio publicaret. Qua de re in hunc modum scribit Joannes Casa Archiepiscopus Beneventanus in vita Contareni. *Scripsit duos libros de officio Episcopi; finxitque ita, atque formavit talem vis-*

*Libros 2. de  
opt. Antistis-  
tis officio,  
scribis.*

rum, quales se forent, quibus tantum hodie munus commissum est, non laborarem. Quis enim non fateatur, pias in primis castasque fuisse cogitationes ejus, totâq; mente, ac studio solitum esse in illis volutari optimum virum, postquam alium instruere, & ornare in ea vita ausus est, quam ipse adhuc non attigerat, nec unquam cogitavit, præcepta illa sibi utilia aliquando futura? Hæc Joannes Casa.

Præterea cum in Senatu Veneto, nescio qua causa, orta esset quaestio de Pontificis Maximi potestate, divinitusne illa stabilita foret, an humanis consiliis regeretur? cumque multum illic acriterque eâ dere in utramque partem disputatum esset, nec cui opinioni deferrent, in promptu haberent, domum ex Senatu reversus Contareus, ut quid ipse de proposita quaestione sentiret, palam ostenderet, civésque suos periculoso errore liberaret, spatio unius noctis (quod mirum sit) libros confecit duos; de Potestate scilicet Romani Pontificis, de usu clavium unum; alterum de potestate Pontificis Maximi; quos Paulo III. & Nicolao Teupolo dicitur: Quique paulo post Venetiis excusi luce publica donati sunt.

VIX  
Unius noctis  
spatio 2. li-  
bros com-  
ponit.

In ipso autem civilium honorum cursu constitutus, ut tum sibi, tum Collegis in Senatu Veneto, patriæque prodesset; effugièntque ejus Reipublicæ, in qua natus erat, & quam pro parte moderabatur, exprimeret, quinque libros scripsit, de Magistratibus duos; tres de Republica Venetorum: Qui itidem magno rerum civilium emolumento divulgati sunt. De his libris ita cecinit laudatus Marcus Antonius Flaminius.

Laudatus à  
Flaminiis.

*Descripsit ille maximus quondam Plato*

*Longis suorum ambagibus voluminum,*

*Quis Civitatis optimus foret status:*

*Sed hunc ab ipsa saculorum origine*

*Nec ulla vidit, nec videbit Civitas.*

*At Contareus optimam Rempublicam*

*Parvi libelli disputationibus*

*Illam probavit esse, plus millefima*

*Quam cernit æstas Hadriatico in mari*

*Florere pace, literis, pecunia.*

Interea Paulus III. Pontifex Maximus viri decantatissimi merita virtutem & eruditionem præmiaturus, nihil tale expectantem in sacrum Purpuratorum Senatum legit die 30. Maii anno 1535. adjecto ei titulo Diaconi Cardinalis S. Mariæ in Aquiro; eundemque postea Legatum in Germaniam misit, ut quorundam animi conceptâ Lutheri sententiâ corrupti, salubri adducto dogmate sanarentur. Sed post eam rem casto labore semper agitatum, quum in urbem rediisset, Legatus Bononiæ creatus est. Hoc in munere quàm piè, prudenter, ac integrè se gesserit, acta publica omnium ore commendata satis superque testantur: Ego, quæ porro scripserit vir eruditissimus, paucis prosequar.

Adlegitur in  
Collegium  
Purpurato-  
rum.

Ejus dili-  
gentia in e-  
mendandam  
Republ.  
Christian.

Is igitur in amplissimorum Antistitum Collegium coöptatus, perlectis diligenter Synodis omnibus, quæ variis temporibus tum ad Cleri reformationem, tum ad emendandum Christianæ Reipublicæ statum habitæ sunt; in breve quoddam corpus gravissimas

quas-

quasque ipsarum leges, statuta ac decreta collegit, servato ubique rerum ac temporum ordine, materiâque omni, quam illæ profecuta sunt, demonstratâ. Misit autem opus hoc multarum vigiliarum ad eum, cujus tum maximè intererat, Paulum III. Eo absoluto par illi opus, & quod eundem finem haberet, aggressus est.

Scripsit enim quatuor libros *de Ritibus & Ceremoniis nostræ Religionis*, ac *de Sacramentis Ecclesie*, quibus libris complexus est materiam illam omnem, quæ ad notitiam hominis Christiani pertinet; & quæ radix visque ipsarum fuisset, luculenter declaravit; quidque demum piè credi, & custodiri circa ea deberet, veris rationibus, & argumentis firmissimis comprobavit. Ut autem libellum alium, admodùm utilem pravis opinionibus ex animis hominum evellendis conficeret, occasionem hanc habuit. Factum est, cùm ille Bononiam Legati nomine obtineret, ut Moronus Mutinensis Episcopus, vir pius ac providus, salutisque gregis suæ fidei commissi valdè studiosus ad eum Bononiam veniret, medicinam ab eo petiturus, rationemque auditurus, qua salvum ipsum, incolumemque redderet, cùm graviter ægrotare non parvam ipsius partem cognosset, quam tamen totam rem ille ita tractari volebat (cùm honestam nobilemque civitatem, nempe Mutinam, regeret) ut ne ullâ ignominia illa notaretur, ac tamen remedium cito adhiberet, ne malum magis serperet. Consilium ipsius cùm mirificè probasset Contarenus, multa animo revolvendo, ut erat summus & acuratus pestilentis hujus morbi medicus, statuit demum ita rem esse agendam. Confecit tanquam Institutionem quandam brevem hominis Christiani; collegitque quæ magis mordere animum solent probra omnia, & ita ut aperire ipsa oporteat cum dolore Sacerdoti. Qui sanè liber non uni illi Civitati sanandæ factus videretur, sed Christianis omnibus in officio retinendis, & ab illa contagione liberandis. Eum verò ad suos Moronus Episcopus importavit, divulgatumque studio quodam & arte effecit, ut vulgo reciperetur, cunctique se vitæ illi tenendæ, legibusque servandis adstringerent. Statim enim probatus fuit omnibus, exceptis paucis, qui planè perditum ac desperatum forent: posteaque & ipse formis excusus est.

Illustravit etiam Scholiis doctissimis Contarenus multos obscuros locos in Epistolis D. Pauli Apostoli, cùm ipsas accuratè legeret: quo sanè in studio, toto animo occupatus erat, ut testatur laudatus Joannes Casa, cùm mors eum oppressit.

Epistolas etiam non paucas conscripsit, eruditas sanè & optimorum præceptorum plenas: uti libellos etiam nonnullos alios valdè utiles & salutis animæ consulentes. In quibus est quæstio diligenter explicata, perdifficilis sanè, magnique momenti semper habita, ad vitam benè, beatèque degendam; qua traditur, liberam esse potestatem nostram, omnique nexu causarum, ac necessitate solutam. Eum verò librum misit ad Victoriam Columnam foeminam lectissimam, quæ ob eximium amorem erga virum mortuum, admirabilemque ingenii laudem in condendo carmine, maximo in honore eâ ætate habita est.

Sed etiam ut forori suæ perquam dilectæ, quæ se in castissimum cœlum Virginum Muranarum conjecerat, morem gereret, animûmque ipsius suavissimo cibo aleret in eâ solitudine, cui se dicaverat, interpretatus est Hebræorum cantum *Ad te levavi &c.* *Interpretatur Italico sermone, Ad te levavi.* Italico sermone. Quo libello nihil dulcius, sanctiusve. Quin etiam eodem honesto desiderio incensus, ut utilitatibus fratrum suorum ferviret, qui crebro mercaturis faciendis operam dantes, navigabant: confecit libellum *de Aestu maris*; & quam causam reciproca illa fluctuum agitatio haberet, diligenter monstravit: qui tamen liber amico olim suo commodatus, magno studio adhibito recuperari amplius non potuit. Eundem in finem scripsit etiam *de Elementis* libros quinque; in quibus viam omnem rationemque Aristotelis diligenter expressit: misit autem illos ad Matthæum Dandulum fororis suæ maritum, quem Joannes Casa magnis laudibus effert.

Elucubravit pariter magna diligentia Tractatum, quo probat non dari quartam figuram Syllogismi, quæ dicitur Galeni: item *Scribit item Consutationem Articulorum Lutheri.* alium *de Homocentricis* ad Hieronymum Fracastorium: *De Ratione anni: Confutationem Articulorum Lutheri: De Justificatione: de Libero Arbitrio: de Prædestinatione: Responsonem ad Apologiam Francisci Georgii: & Epistolas multas.* Addit denique sæpè memoratus Casa; Contarenum, quodcunque tempus vacuum à negotiis sive publicis, sive privatis nancisceretur, illud omne scribendis literis aut libellis infumere solitum fuisse.

Jam verò eruditus ejus ingenii monumentis enarratis, qualiter vir pius, nec unquam fatis laudandus, mortalia reliquerit, paucis ex sæpè allegato Joanne Casa vitæ scriptore accuratissimo indicabo. Agebat Contarenus annum ætatis suæ quinquagesimum nonum, ijs vigiliis, curis, ac studiis, quæ paulo antè memoravi, toto animo occupatus. Instabant eo tempore, quod æstivale erat, calores maximi: hos ut declinaret, simulque animum à perpetuis laboribus aliquantum relaxaret, Bononiâ excedens migravit in locum mille passibus circiter ab urbe distantem, naturâ & arte amœnissimum cujus possessio ad sodales D. Justinæ tum spectabat. Hic ille cum selectis quibusdam viris eruditione & pietate claris æstus declinandi causâ crebro in porticulam quandam situ & aère jucundissimam descendebat, atque ibidem, ut fieri amat, deambulationis satur positâ mensâ cibum cum sodalibus frequenter capiebat. Vergebat porticula illa ad Septentrionem, urbemque ipsam quasi ante pedes positam prospiciebat, planiciemque omnem, quæ ipsam cingit; quin etiam remotiores urbes illinc commodè cernebantur Mutina, Ferraria, aliæque nobiliores. Quare non sine causa, nec sine maxima animi & corporis voluptate expetebatur prospectus ille, quamvis tunc capto jucunditate illius Contareno, nihil tale timenti exitium comparaverit. Aura enim illa lenis, quæ frigus majus adflabat, quàm hominis temperamentum (quod naturâ rarius erat) pateretur, parvòque sæpè momento commoveretur, facile ad imas partes penetravit, sanguineque inflammato abscessum in latere creavit. Quare statim febris insecta est lethalis, quæ paucis  
illum

illum diebus consumpsit, quamvis magnâ diligentia egregii, qui aderant, medici malum arcere satagerent. Ipse autem ut primum cognovit se ægrotare, collectis valis, Bononiam reversus est. Ubi vix dum allapsus, morboque (cujus vim atque naturam exploratam habebat) diffusus ad medicos dixit: gravitatem morbi ejus, quo affligeretur, longè majus in se periculum continere quàm apparet; quòd si vires corporis eæ forent, ut spatio trium quatuorve dierum resisterent, sine dubio morbum ipsum, impetum suum remissurum; se tamen magnoperè vereri, ne contra ipse deficiat, naturaque penitus frangatur; intelligere enim se, motum venæ valde imbecillum & varium esse, atque adeo lethalem. Cui ille, qui saluti ipsius omni studio prospiciebat, respondit rogans, ut abduceret paulisper animum ab his molestis cogitationibus, rationemque omnem sui curandi in prudentia, diligentiaque Medicorum positam esse vellet: affirmans propterea Deum optimum maximum, quem semper ille piè coluisset, ipsi præsidio ac saluti futurum. Omnino, inquit, spem omnem meam in Domino repono, cujus misericordiam, quæ magna est, sic confido, ut malè memori posse non autumem. Verùm ne perituri corporis majorem curam, quàm animæ immortalis habere videar, jubeo aëritum adesse Sacerdotem, qui mysteria exituris ut salutaria, sic necessaria exhibeat; iis expiatus, corpus aut medico curandum, aut terræ mandandum resigno. Hæc effatus, mandavit famulo, ut privilegium, quod à Pontifice beneficii loco ad delicta penitus abstergenda impetrarat, sibi dum mente valeret, prælegeret. Quibus omnibus ritè & ad votum peractis, sanè constanti animo, lætoque vultu vir cœlo maturus mortem aspexit ipsis Kalendis Septembris anno reparatæ salutis 1542. ætatis quinquagesimo nono.

Reliquit verò ille discessu suo suos omnes mœroris ac luctûs plenissimos, & universam quoque Civitatem dolore magno affectam, quæ sanè quacunque ratione potuit, funus illius pullata honestavit, & quàm molesta ipsi optimi Antistitis mors accidisset, veris lacrymis testatum fecit. Die autem, quæ secuta est mortem ipsius, funus longo Ordine pompaque tanto viro convenienti ductum est. Orationem de laudibus ejusdem & honestè acta vita habuit Romulus Amasæus disertus & nobilis Orator, qui tum in ea urbe, domicilio quodam vetere omnium disciplinarum, & politiores literas docebat, & negotia publica Reipublicæ administrabat. Corpus in Divi Petronii lateritio in tumulo depositum est eo Consilio, ut Venetias ad Divæ Mariæ ab Horto in familiæ sacellum postea exportaretur, quod & factum est. Adjectum est viri cineribus sequens Epitaphium.

GASPARIS CONTARENI S. R. E. CARDINALIS OSSA,  
CUIUS ADMIRANDAM INTEGRITATEM, DOCTRINAM, AC  
ELOQUENTIAM IN UTRAQUE REPUBLICA, ET APUD SUM-  
MOS REGES GESTA ET SCRIPTA PUBLICA TESTANTUR.

BONONIÆ LEGATUS PONTIFEX NATURÆ CESSIT  
ANNO M. D. XLII. VIXIT ANNOS LIX.

ALOYSIUS EQUES, ET GASPAR, EX FRATRE NEPOTES,  
MOËSTI TANTO VIRO POSUERE.

Ejus corpus in Divi Petronii depositum cohonestavit Janus Vitalis, illustris vates hoc carmine marmoris inciso.

Commemorandum  
in  
funeribus.

*Contarene, tibi pietas dum dia parentas,  
Et queritur longo amissum Respublica luctu:  
Ite, ait, illustres anima, vitalia sacra  
Heroum, & vestro Athleta exornate sepulchrum  
Floribus: Hic veris docuit rationibus esse  
Immortalem animam summa de mente creatam.*

Indolet  
Paul. III.  
funeribus ejus.

Paulus III. Pontif. Max. nuncio allato de obitu Contareni, ægrè admodum illum tulit, declaravitque quanti hominem fecisset, omni genere liberalitatis usus erga domum illius. Nec tantum Pontifex Maximus, qui sæpè operà ipsius fideli & utili usus fuerat, verum etiam Romæ cæteri probi viri morte illius vehementer conflictati sunt. Omnes denique, qui aliquando doctrinam illius gustarant, singularisque probitatis hominis specimen aliquod acceperant, publicam illam cladem existimarunt. Civis autem Collegæque ipsius in amplissimo Sacerdotio Petrus Bembus, quantum dolorem cepisset ex gravi morbo Contareni, desperatæque jam à Medicis salute, notum omnibus esse voluit. In Epistola enim ad Flaminium Tomarotium, quomodo affectus animo esset, audito casu illo, & propinqua morte optimi & honestissimi viri diligenter narravit: verba ipsa cum illustri loco posita sint, aliòque sermone edita, typisque vulgata, superfedeo hic rescribere. Possem etiam aliorum multorum doctorum & excellentium virorum testimonia citare, qui quantum damnum morte illius factum sit, scriptis suis multo cum dolore testati sunt: in quibus & nonnulli, qui ab eo vehementer dissentiebant de ratione vivendi, veròque cultu Christiani hominis, & acerrimi adversarii opinionum, quas ille in Germania adversus eos defendit, extiterunt; magnificè tamen de eruditione, continentiaque illius in illis ipsis libris, quibus sententias ejus oppugnabant, locuti sunt. Quòd ferè usu venire non solet, ut à quibus de veritate homines dissentiant, non eosdem etiam conentur deformare, atque ita autoritate omni ipsos spoliare.

Laus ejusdè  
integritatis.

Cæterum claruit Contarenius morum honestate, vitæ sanctimoniam, & virginali pudore, ut constans hominum opinio fuit. Florens, inquit Joannes Casa in ejus vita, sœdas Veneris voluptates semper exhorruit; integritatem, innocentiam, justitiam, pietatem solidam nudamque peramavit, ac nullis unquam carnis deliciis delectatus est. Meritò igitur Petrus Massæus, clarus Societatis JESU scriptor. *Gravissimum Senatorem, iisque temporibus ingenii & doctrina facile principem, & ob Regiam virtutem & Sapientiam Paulo Pontifici acceptum, suisque Ordinis amicissimum* dixit: nam per illum S. Ignatius universi Instituti sui formulam ad certa capita dilucidè redactam Apostolica autoritate sancientiam Pontifici obtulit, qui eà perlectâ, *Spiritus Dei, inquit, est hic.* Porro idem Societatis JESU fundator Ignatius illi spiritualis olim vitæ magister extitit, à quo sacra Exercitia acceperat, quæ semper magni fecit, & sua manu descripsit; ejusque sanctis monitis & consiliis mirum in modum profecit; dictus propterea vel extra ordinem constitutus, *Ignatij sc̄cator.* Quare à  
Bzovio

Bzovio in Annalibus primus recensetur cum Jacobo Sadoleto, & Joanne Petro Caraffa (qui postea ad Pontificium assumptus, dictus est Paulus IV.) aliisque solida probitate viris, qui ut labantem Ecclesiasticum ordinem ad pristinam dignitatem, puritatemque revocarent, in ipsa Urbe Roma (Leone X. sedente) sodalitiū in signe fundarunt, cui à *Divino Amore* cognomentum imposuere.

*Viri hujus acta & vitam omnium accuratissime descripsit Joannes Casa. Eundemque laudant Petrus Justinianus in Hist. Veneta. Aubery in vita. Petrus Massæus in vita S. Ignatii. Jovius in elogiis. Nicolaus Orlandinus in Hist. S. I. Nicolaus Barbadius in vita. Antonius Sanderus in elog. Cardin. Morerius in Dict. Hist. & alii multi.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

**JACOBO SADOLETO**  
S. R. E. CARDINALE.

**J**ACOBUS Sadoletus Italus, patria Mutinensis prodiit sub annum 1476. loco honesto, & urbe Cisalpinæ Galliæ in primis nobili, Mutinâ. Pater ei Joannes Sadoletus fuit, homo eâ vitæ ac morum integritate, eâque Juris civilis ac pontificii scientiâ, ut judicari haud facile posset, utrum melior esset, an prudentior? Is cum Ferrariæ, ubi apud Herculem ejus civitatis Ducem gratia & autoritate multum valuit, Jus civile magnis præmiis, majore nominis sui celebritate & laude doceret, filium suum Jacobum iis disciplinis ac literis, quibus puerilis imbui ætas solet, diligenter instituendum curavit. Erant tum in ea urbe omnium liberalium artium magistri ac Doctores egregii: in his Nicolaus Leonicensis, qui non scientia solum Medicæ artis excelluit, sed Philosophiam etiam magna cum laude professus est. Eum Jacobus vixdum pubertatem ingressus Aristotelis libros de Moribus publicè interpretantem audit: tantum enim jam propter admirabilem ingenii vim profecerat, ut qua ætate cæteri laborare in linguis discendis solent, eâ Græcas ipse, & Latinas literas egregiè callens, nobilissimi omnium Philosophi præcepta cognosceret.

Hunc tali ingenio præditum, atque ita institutum pater amplecti Juris civilis studium peroptat (plerumque enim hoc fit, ut Parentes, quibus ipsi artibus & studiis dediti fuerint, eisdem liberos suos operam dare cupiant) sed tamen naturæ eum, & studiis suis obsequi passus est. Etenim egregius adolescens majorum jam, & graviorum artium studio incensus, Philosophiæ juxta ac eloquentiæ amore exarserat. Itaque Ciceronem sibi & Aristotelem penitus cognoscendos proposuerat, quorum ex altero Philosophorum omnium principe, rerum cognitionem, ex altero Latinæ linguæ parente, orationis elegantiam & copiam hauriret. Nec verò non Poëtices etiam studiosus extitit: in qua quidem quantum excelle-

re potuisset, si ei se studio penitus dedere voluisset, complura, quæ ab eo adolescente facta sunt, poemata declarant.

*Ætatem  
virtute,  
doctrinâ  
præcedit.*

Jacobus igitur cum ætate jam aliquantum processisset, & iam ætatem virtute & doctrinâ longè anteiret, patris voluntati obsequens Romam se contulit Alexandro VI. Ecclesiæ habenas moderante. Amplissimi tum Romanæ Ecclesiæ Ordinis virtute atque existimatione princeps & erat, & omnium judicio habebatur Oliverius Caraffa (cujus vitam pluribus libro 3. n. 34. descripsimus) ab hoc cupidissimè statim infidem & contubernium literatissimus juvenis receptus est. Atque hoc primum prudentiæ suæ specimen ea in urbe dedit, quòd ad eum se potissimum contulit, non qui opibus & divitiis maximè præstaret (multi enim Romæ tum ditiores, opulentioresque ejus Ordinis viri erant, quorum illi omnium domus patuissent) sed qui integritate vitæ, prudentiæ laude, & Religionis cæteris antecelleret. In ejus castissima domo plurimos annos ita vixit, ut ad optimarum artium studia assiduè incumberet, & cum reliquis omnibus, tum illi gravissimo viro probatissimus esset; à quo etiam honesto in urbe Roma Sacerdotio ornatus est.

*Modestia  
Jacobi singularis.*

Erat autem in Jacobo præter excellens ingenium incredibilis quidam pudor ac singularis prorsus modestia, quæ non modò in omni ejus sermone, sed in ipso etiam vultu atque oculis insigni cum gratia elucebat. Commendabat eum præterea omnibus iis qui illum noissent, gravitas quædam major quàm quæ ab illa ætate postulanda esset, eximia humanitate temperata. Referta tum ea urbs erat eruditissimis, & in omni genere præstantissimis hominibus: Eos ille omnes celeriter amicitia & consuetudine comprehenderat. Ex quo celebre jam ejus nomen, & principibus quoque viris, iis præsertim, qui eisdem studiis delectabantur, notum erat, quorum brevi tempore omnium gratiam sibi & benevolentiam conciliavit. In primis autem Friderico Fregosio Salernitano Pontifici familiaris fuit, viro cum genere ac nobilitate, tum virtute doctrinâque præstanti, cujus contubernio aliquamdiu post Oliverii Caraffæ obitum, unà cum Petro Bembo optimo & doctissimo viro usus est. Horum inter se amicitia Romæ postea maximè illustris fuit: etenim jam inde ab eorum adolescentia instituta, per omnes ætatis, atque honorum gradus usque ad summam senectutem sanctissimè conservata est; erat enim virtute, studiorum similitudine, firmissimis animorum vinculis copulata & constituta. Jam quantoperè Sadoletus eo tempore virtutis & eloquentiæ gloriâ floureret, ex eo facile judicari potest, quòd Leo X. acerrimi ingenii & gravissimi judicii princeps, simul ac creatus est Pontifex Maximus, eum statim, Petrum Bembum ex omni doctorum hominum copia delegerit, quorum in conscribendis epistolis operâ & ingenio uteretur; quod apud Romanos Pontifices munus longè honestissimum est. Sadoletus autem eo ita munere functus est, ut non ingenio modò, scribendi facultate (qua nemo ætate nostra ad illam scriptorum laudem propius accedere existimatus est) sed industria etiam, & fide Principi illi maximè satisfaceret. Itaque apud eum aucto-

auâtoritate & gratia multum valuit, & ea re facillimè augere honestatem, & facultates suas potuit: Verùm usque adeò ab hac cupiditate remotus atque alienus fuit, ut ( quod vix credibile visum iri puto, his præsertim temporibus & moribus ) nullum sibi unquam Sacerdotium à liberalissimo & sui amantissimo Principe petierit, cùm tamen amicis suis, probis idoneisque hominibus, & alienoribus etiam permulta & peteret, & impetraret.

Tantâ porrò abstinentiâ fuit, ut, cùm pro loci ejus, quem apud <sup>Munera reâ</sup> Pontificem tenebat, auctoritate, munera ei multa & perampla <sup>spuit.</sup> mitti solerent, ea semper constanti animo repudiaverit. *Hac ille continentia ita delectabatur*, inquit Oldoinus in vita ejus, *ut plerique pecunia, aut elegantiori veste, aut suppellectili delectari solent.* Sua verò commoda negligendo aliorum utilitati inservire, eum auctoritatis & gratiæ fructum putabat esse maximum. Cùm profectus esset voti & Religionis causâ ad Lauretanæ Virginis templum, Carpentoraâensis Ecclesiæ Pontificatus in Gallia vacavit: eum delatum ultrò sibi absenti à Pontifice Maximo aliquandiu recusavit; cùm intereâ eundem Leo flagitantibus aliis non infimæ notæ viris denegasset. Ut rediit Romam, diutiùs illum recusare non licuit. Itaque ut illud magni animi fuerat tam honestum Sacerdotium ultrò à Pontifice Maximo delatum à se rejicere; ita hoc moderatû & Christiani animi specimen fuit, vocanti ad ejusmodi munus Deo obtemperare. Hoc ille Sacerdotium adeptus, primò quantâ maximâ potuit absens diligentiam commissam sibi Ecclesiam per idoneos homines rexit. Post cùm ex hac vita Leo migrasset, statim rebus Romanis relictis, Carpentoraâe profectus est eo consilio, ut populis suæ fidei concreditis boni & diligentis Episcopi officium præstaret; neque Principibus ampliùs, sed uni Deo, & rectissimis suis studiis inserviret. Exceptus est adventus ejus maximâ lætitiâ & gratulatione illorum hominum, tantam illis jam absens de se opinionem exspectationemque commoverat, cui tamen exspectationi postea egregiè satisfecit. Nam & rebus divinis procurandis, & vitæ innocentiam, & admirabili in primis quadam in eos homines charitate optimi & religiosissimi Præfulis munus obiit. Vixit in eâ vitæ quiete & tranquillitate, quoad Hadrianus VI. Pontifex Maximus, qui Leoni successerat, vixit. Creato verò post Hadriani obitum Clemente VII. ab ipso statim Romam evocatus accersitusque est; quem cùm eximie diligeret, multis magnisque ejus officiis adstrictus esset, quin ei pareret tam amanter & tam acriter evocanti, facere non potuit; neque adeò rectum, neque fas esse existimavit, tam bene merito de se Pontifici, præsertim optimum in Christianam rempublicam animum præ se ferenti, operam suam denegare. Itaque etsi invitus fecit, ut ab Ecclesia sua discederet, tamen ad eum se contulit; verùm eâ lege, ut ne plus triennio abesset; utque eo exacto tempore, remigrare sibi Carpentoraâe voluntate ipsius liceret.

Romam igitur cùm venisset, versatus est in intima ejus Pontificis amicitia & familiaritate: nec verò ingenio hominis solum Clementis, sed consilio etiam in administranda republica usus est. Ad  
deli-

*Pontifici hæmicissimus.*

deliberationes eas, quas habebat de maximis & gravissimis rebus, eum unà cum aliquot aliis amicis adhibebat; curas illi omnes, & cogitationes suas impertiebat; tantum denique ejus fidei, tantum prudentiæ tribuebat, ut multa, quæ ad Christiani nominis quietem, & ad morum ac disciplinæ publicæ correctionem pertinebant, ejus potissimum admonitu & consilio sibi agenda constitueret. Atque utinam is Pontifex ea, quæ interdum præclaro quodam animi impetu agere meditabatur, ad exitum perduxisset, profectò cum universa Christiana respublica meliore loco esset, tum ipsa Italia; atque urbs Roma eas, quibus postea afflicta, oppressaque est, calamitates effugisset. Non enim in eo Pontifice rectum in republica sensum requisisses, constantiam potius, & perseverantiam majorem in bonis consiliis desiderasses. Itaque cum salutaribus Sadoleti consiliis sæpè usus esse videretur, flectebatur postea aliorum quorundam, qui longè plurimum apud eum poterant oratione. Intimus erat Pontifici illi maximo Sadoletus; amplificandæ fortunæ ac dignitatis suæ facillimam rationem in manibus habebat: Colebatur præterea, & magno honore afficiebatur ab omnibus; pro sua tamen in rempublicam dignitate nullam commodorum rationem ducens, ex ea temporum ac rerum perturbatione maximo animi dolore assiduè tangebatur. Qui quidem ad extremum, cum rem in eum locum adductam intelligeret, ut nihil benè monendo & suadendo amplius prodesset, statuit, quando reipublicæ coindare jã nihil posset, suæ saltem Ecclesiæ prospicere atque consulere. Itaque cum operam suam per triennium jam Clementi summa cum fide & integritate navasset; etsi nonnulla concordiæ & compositionis spes inter eum Pontificem & Carolum Imperatorum allata erat, jamque inter eos induciæ pactæ fuerant, tamen in sententia permansit. Nec verò movebatur animo, cum ab eo Pontifice esset discessurus, quem cum ob eximiam quandam ejus humanitatem, tum ob perpetuam erga se benevolentiam amabat. Sed cum cogitaret, quanto Ecclesiæ suæ officii ac necessitudinis vinculo obstrictus esset, cumque Carpentoraënsis populi desiderium ferre diutius non posset, longiorisque in urbe Roma commorationis causam, ambitionem potius, quam officium vitum iri suspicaretur, omninò sibi abeundum esse statuebat; cujus justæ voluntati, ac precibus ad extremum Clemens cedere coactus est.

Dei benignitate subtrahitur cladi Romane urbis, à morte subreptus.

Comprobavit ejus consilium is profectò, qui intimos hominum sensus perspicit, neque unquam non rectis bonorum voluntatibus favet Deus: etenim tam opportuno tempore discessit, ut vix dies viginti ab ejus abitu intercesserint, cum urbs Roma capta atque direpta est; ut in singulari Dei erga se beneficio, horribili illi cladi subtractus fuisse videatur. Tum verò, quamquam serò intellectum est, quàm & prudenter Sadoletus, & fideliter monere solitus fuisset ( ille enim & initio dissuasor belli adversus Carolum, & postea deponendorum armorum assiduus hortator, pacisque quibusvis conditionibus accipiendæ auctor semper extiterat ) perceptâ tamen hac tantâ clade, quem par erat, dolorem concepit: Nam & urbis longè omnium nobilissima direptio & vastitas, & varii & gra-

ves multorum clarorum virorum, ac sibi amicissimorum hominum casus, quos tempestas illa oppresserat, imprimisque ipsius Pontificis maximi calamitas magnum illi mœrorem attulere. Non tamen angoribus sese dedit; sed cum Pontifici maximo, ac multis prætereà amicis tali eorum tempore literas amicissimè & prudentissimè scriptas misisset; tum ipse doloris sui levamentum à Deo, & ab iis studiis, iisque actionibus, quæ cum Deo in primis gratæ, tum etiam animis salutare sunt, petivit: Ad sacrarum enim literarum studia toto tum (ut aiunt) pectore incubuit; quæ post aliarum literarum & artium cognitionem à se vehementer culta, temporibus quibusdam propter occupationes remiserat. Et quanquam maximas in re domestica difficultates & angustias post Urbis excidium experiretur, non potuit tamen sibi temperare, quin pro natura & instituto consuetudinis suæ omnes, tam veteres, quàm novos reciperet familiares, qui egentes ac nudi ad eum undique confluerant. Nec verò legendo solum, sed commentando etiam, & scribendo, tum sibi, tum aliis prodesse conatus est. Nam cum religionem videret seditiosorum quorundam hominum impietate magnoperè ubique perturbatam, tuendæ ejus studio incensus, Divi Pauli ad Romanos Epistolam maxima religionis nostræ Mystéria continentem, & obscurissimis quæstionibus refertam tribus libris non minùs piè, quàm ornate & dilucide explicavit.

Helvetiis, apud quos Nuncii Apostolici munere, mandante Cle-  
*Nuntius*  
*Apostolicus*  
*ad Helveticos.*  
 mente, functus est; & commissis sibi populis ita præfuit, ut nullum in eos fortis & diligentis Episcopi munus prætermiserit, quos quidem quanti faceret, nullà re potuit apertius declarare, quàm quòd eorum causà amplissimi & potentissimi viri simultatem (qui eo tempore Legatus Avenionem & finitima illi loca & oppida, quæ in fide Ecclesiæ Romanæ sunt, regebat) homo injuriis perferendis, quæ ipsi fierent, incredibili ac nimia propè patientia suscipere veritus non est. Multas enim Ecclesiæ suæ injurias inferri, multa tum à Legato, tum ab ejus Magistratibus ac ministris iniquè decerni atque agi, pro munere ac pro persona, quam sustinebat, minimè sibi ferendum existimavit. Ac primò quidem illum ab eis institutis hortando, & amicè sæpius monendo deterrere conatus est; sed cum nihil hac ratione proficeret, cumque ejus quamquam absentis, Romæ magna apud Clementem Pont. Max. esset autoritas, brevi tempore perfecit, ut Legatus sese colligeret, & eos, quibus præerat populos magna in posterum æquitate & diligentia regeret. Qua in re Sadoleti officium ac pietatem potiùs is adeò aliquantò post amavit, ut non modo cum eo in gratiam redierit, sed ex eo tempore illum & vereri maximè, & patrem etiam appellare solitus fuerit.

Recreatis hac ejus actione Carpentoraënsibus, & reliquis illis populis, altera ab eo actio non minùs pia, nec minùs illis grata ac sa-  
*Judæorum*  
*in simplices*  
*Christianos*  
*doli.*  
 lutaris suscepta est. Maxima jam diu Hebræorum multitudo apud eos confederat: ij Christianos homines imperitos & incallidos circumvenire, & quibus pecunias credidissent, eos fœnoris gravitate, & renovandis multiplicandisque usuris, ad extremum fortunis omnibus evertere solebant. Eorum quoque avaritiam & fraudes, susce-

ptâ miserorum causâ, eâque diligenter apud Pontificem Maximum, & Magistratus Urbanos per literas & procuratores actâ, magna ex parte repressit tandem, atque coërcuit. Quin etiam orationem in eos pro Christianis composuit, & eam quidem omnium, quæ ab eo scriptæ sunt disertissimam. Alia prætereà multa variis temporibus in Carpentoraënses, & rem eorum publicam tum officia tum beneficia contulit, quibus planè declaravit, nunquam ullum cuiquam chariorem fuisse, quàm ipsi fuerit universa sua Ecclesia.

Usu sæpissimè venit, ut illi aut Pontifici Maximo, aut Gallorum Regi aut ijs, qui plurimum apud eos poterant, commendandi fuerint; non dici potest, qua sollicitudine id egerit? prorsus, ut multò vehementiùs, quàm si ipsius ageretur res, laborare eorum causa videretur. Eorum liberi parùm idoneis antea doctoribus usi fuerant: hoc quoque ad officium suum pertinere existimans, ut illi optimis & moribus, & disciplinis imbuerentur, curavit ut doctores semper egregii ad eos instituendos conducerentur, quibus ipse, quò diligentius officio fungerentur, præter eam mercedem, quæ eis ex publico ærario dabatur, non exiguam pecuniam de proprio contulit. In eo verò longè Maximam curam ac diligentiam adhibuit, ut turbulentis ijs temporibus Ecclesiam suam in fide, & sana erga Deum religione contineret. Itaque si quos in errorem impulsos à recto itinere declinasse cognoverat, paternis eos admonitionibus in viam reducere satagebat. Si cujuscumque concionatoris fides, & disciplina illi suspecta erat, is ne quem aut publicis concionibus, aut privatis disputationibus corrumpere posset, providebat. Denique ejusmodi concionandi munus illis mandabat, quorum pietas explorata ipsi esset & cognita; quos ipsos etiam ad cautelam attentè audiebat. Non continebat tamen illos homines in officio tantopere hæc ejus diligentia, quàm ipsius innocentia, liberalitas, continentia. Non modò enim neminem ulla unquam affecit injuria, sed multorum ipse injurias ita pertulit, ut eos patientiâ & lenitate sua ad extremum sibi amicissimos reddiderit. Duriore annonâ, magnum hominum egentium numerum alebat: patebat ejus domus semper pupillis, viduis, peregrinis, inopibus puellis, quarum pudori & necessitati, incredibili vigilantia & charitate consulebat. In alios prætereà honestos ac pios sumptus vectigalia sua sic solebat impendere, ut vertente anno par ratio esset accepti, & expensi: neque enim quidquam tantopere detestari solitus erat, quàm in Sacerdotibus studium congerendæ & coëcervandæ pecuniæ. Erant ei omninò modica, vel exigua potiùs vectigalia; sed frugalitate & temperantiâ in victu, cultuque domestico id assequabatur, ut ejus liberalitati sufficerent. Hoc ejus vitæ genere, hisque officiis fiebat, ut illi cum populi ineffabili pietate & cultu prosequerentur, planèque honestissimo *parentis omnium* titulo exornarent.

*Redit Romã* Interim mortuo sub annum 1534. Clemente VII. cum Paulus ei  
*Sadoletus.* Tertius successisset; hujus quoque Pontificis accersitu Romam Sadoletus redire coactus est. Etenim is sui Pontificatus initio spem atque expectationem omnium mirabiliter crexit: ostendit enim sibi

in animo esse, novis legibus solutam Sacerdotum disciplinam astringere, & sublatis eis, quæ à superioribus Pontificibus Romanis instituta, minus probarentur, sanctiorem gerendi summi Pontificatus rationem institueret. Ejus rei perficiendæ causâ è longinquis locis accersivit, quos doctrinæ, integritatis, & prudentiæ maximam opinionem habere intelligebat; ut cum eis, cumque alijs prætereà quibusdam, quos ex amplissimo Ordine adhibiturus erat, tantarum rerum consilia communicaret, eorumque monitu ea, quæ aut abroganda essent, aut sancienda, cognosceret. Hi autem qui accersiti sunt, omnino sex fuere, inter quos primo loco eminebat Jacobus Sadoletus, qui tam gravem ob causam Pontificis maximi literis evocatus paruit ei, ut debuit. Agitata ea res fuit complures dies, Sadoletus & reliquis gravissimis viris nihil earum rerum obtinentibus, quæ ad sedandam Sacerdotum, in primisque summi illius Sacerdotii invidiam pertinere videbantur. Quo quidem tempore Sadoletus etiam eis de rebus aliquot insignes orationes scripsit, quibus Pontificis Maximi animum ad rem tam præclaram, tanque rei publicæ salutarem perficiendam acrius incenderet.

Verùm cum tota res postea ob multas & magnas difficultates & impedimenta, quæ obijci videbantur, vel refrixisset, vel dilata in opportunius tempus fuisset, Sadoletus non amplius Romæ sibi terendum tempus existimans, de reditu cogitabat; cum repente unâ cum quibusdam optimis & præstantissimis viris in Senatum Romanæ Ecclesiæ à Pontifice Maximo, cunctis illius ordinis suffragiis, magnâ bonorum omnium lætitiâ, & gratulatione delectus est die 20. Decembris anno salutis 1536. Titulum primò Presbyteri Cardinalis S. Callisti, postea S. Balbinæ, demùm S. Petri ad vincula, aliàs <sup>Fit Cardinalis.</sup> Eudoxiæ diversis temporibus obtinuit. Venetorum Respublica misso legato amplissimam Vaticanæ purpuræ dignitatem, felicem illi precata est: quod à Mutinensibus quoque prælitum alii affirmant.

Accepta purpurâ, doluit Jacobus, dolorémque suum testatus est pluribus epistolis; tum quòd se tanto honore indignum profiteretur, tum etiam quòd illam ipsam dignitatem, novam & gravem servitutem appellaret. Unde in Epistolarum libri decimi unâ ita scribit: *In honore Cardinalitio non tantoperè delector, qui etsi magnus & Quid senserit expetendus omnibus videtur, mihi tamen boni multò plus abstulit, quam rit de Card. dedit. Abstulit enim otium, quietem, libertatem; alia quedam reddidit, dinalatus, quæ nequaquam cum illa felicitate prioris vitæ, meo quidem iudicio, erunt comparanda. Sed quoniam oppressi subito optimi Pontificis beneficio, spazii ad consulendum ac deliberandum nihil habuimus, pareamus sanè Deo, qui nos huic oneri subjectos esse voluit.*

Tum Jacobus purpuratus Carpentoraactem spectans, & ad Ecclesiam suam redire paratus, cum pristinam vitæ suæ rationem ex <sup>Cogitar Purpuram deponere,</sup> eâ dignitatis amplificatione obturbatum iri intelligeret, eum honorem recusare in animo habuit; jamque hac de re Epistolam composuerat, quam ad Pontificem maximum transmittere cogitabat: sed cum in eo accipiendo honore amicorum consilio, auctoritatique cessisset, ita in republica versatus est, ut nihil præter Ecclesiæ Romanæ commodum, & sedis Apostolicæ dignitatem propositum

unquam habuerit, ac sententiam suam eâ, qua decuit, libertate & constantiâ semper dixerit. Qua quidem sacerdotali libertate in dicendo sic uti solebat, ut neminem eâ, jure posset offendere: leniebat enim illam ejusmodi orationis modestiâ, quæ cogebat eos ipsos, quibus adverbatur, in optimâ partem ea, quæ is dixisset, accipere. Sed ut amicitix & gratix nihil dabat, cum id fieri ejus fides minimè pateretur, ita cum è re publica esse censebat, quempiam in amplissimum ordinem adscisci; aut alio quopiam ornamento atque honore affici, cupidissimè ei, ac studiosissimè favebat. Itaque complures egregios, & virtute & ingenio præstantes viros, quò in senatum legerentur, aut aliis Sacerdotiis ornarentur, Pontifici maximo partim coram, partim absens per literas commendavit; idque illis sæpè inscientibus: non enim hoc ambitione adductus faciebat, sed studio reipublicæ.

*Ejus officia  
in quosdam  
Germaniæ  
Principes.*

Nec verò id silendum est de illis officiis, quæ in quosdam Germaniæ Principes, ipsorum quidem etiam, sed multo magis reipublicæ, & communis religionis causâ vir Deo addictus contulit. Semper enim illâ, tot Germaniæ populorum & Principum defectione, Ecclesiæ ut luctuosâ, sic ipsis pestiferâ gravissimè indoluit; semper ut ij, qui & poterant, & debebant, tanto illi vulnere mederentur, optavit. Sed cum nihil suâ sedulitate iis, qui ab Ecclesia, & Romano Pontifice penitus alienati erant, prodesse posset, enixè operam dedit, ut eos saltem, qui sua sponte in vera religione permanerant, & sedi Apostolicæ amici erant, officiis suis aliquanto etiam amiciores & firmiores redderet. Itaque Georgium in primis, & Guillelmum, hunc Baviaræ, illum Saxonix Ducem omni suo studio, officioque complexus est: quæcumque ab eo proficisci potuerunt ad illos ornandos, & coonestandos profecta sunt; in eorum negotiis, de quibus cum Pontifice Maximo agendum esset; eorum Procuratores & Legatos operâ, consilio, autoritate suâ semper adjuvit: ipsius porro officia adeo grata illis fuerunt, ut & amicissimè ei scribere soliti fuerint & gratias agere; & Procuratoribus suis, ut ejus potissimum operâ, consilio, & ductu uterentur, præscribere.

*In morbum  
incidit.*

In gravissimum postea morbum incidit, ex quo nondum planè se se confirmaverat, cum proficiscentem Paulum Pont. Maximum ad reconciliandos Carolum V. Imp. & Franciscum I. Gallix Regem, grave inter se & diuturnum bellum gerentes, secutus est: quo in itinere cum Placentiam venisset, recrudescente morbo, de novo iterum ægrotavit. Ibi cum aliquot dies curandi sui causâ substitisset, ut primum convalescere cœpit, festinans properansque optatissimæ illi de pace actioni interesse, itineri se commisit, neque desistit, quo usque Nicæam, ubi conventuri Principes erant, perveniret. Tum verò tempus illud ratus esse, quo bonos omnes pacem urgere oporteret, uti ea fieret, pro sua parte vehementer annisus est. Deinde cum ea minimè convenire potuisset, pactis Pontificis Maximi operâ decem annorum induciis, cum Pontifex Romam reverteretur, ipse concessu ejus Carpentoraactem, reficiendi & confirmandi sui, ac revivendæ Ecclesiæ causâ se recepit.

Com-

Commoratus ibi est, ut rem familiarem planè constitueret, aliquantò diutiùs, quàm se facturum ostenderet, ne tamen inter eà operà suà Reipublicæ deesse videretur, Opus præclarum sanè, & Reipublicæ temporibus aptum aggressus est, *de exstructione Catholica* (ita enim inscribebat) *Ecclesie*: Quod opus Joanni Salviato collegæ suo desponderat, cum propter veterem eorum inter se necessitudinem, tum ob excellentem ejus viri in sacris literis, & cæteris disciplinis, quæ magno viro dignæ sunt, scientiam. Verùm propter itinera & occupationes, quæ illum alio ex aliis postea impeditum tenuerunt, nec tres, quos jam confecerat ejus operis libros, perpolire, nec quartum, quem illi tanquam fastigium addere in animo habebat, instituire potuit. Revocatus enim Romam, vix dum ibi constiterat, cum renovatò quibusdam de causis inter Carolum & Franciscum bellò, & ob eorum discordiam republicâ Christianâ iterùm in maximum discrimen adductâ (quippe cum Turcicum bellum impendere videretur) Paulus Pontifex Max. per Legatos cum utroque eorum de pace agendum esse existimavit. Itaque delectus ipse est, qui Legatus ad Galliæ Regem iret, qui quamquam affecta jam ætate esset, tamen nullum pro Republica laborem aut periculum recusans, legationem eam suscepit, habitâque diligentia, quantam maximam ferre senile corpus poterat, maturè in Galliam pervenit. Talis viri auctoritate Regem permotum esse, res postea declaravit: Nam cum ei Sadoletus Pontificis Maximi mandata ac monita exposuisset, post aliquot congressus, animum ejus quamquam armati, & viribus suis fidentis ad pacem flexit. Itaque ex magna desperatione concordia subito in spem compositionis ventum erat, si modò alterius Legati, qui in Hispaniam ad Carolum missus fuerat, felicior fuisset tractatio. Non est autem singularis ejus abstinentia omittenda in ea legatione: Nam cum Legatorum, qui à Romanis Pontificibus mitti solent, quamdiù extra Urbem sunt, varia & multiplex sit potestas, & eam ob causam facultatem habeant magnæ conficiendæ pecuniæ, eâ tamen potestate ipse ad quæstum abuti minimè sustinuit, neque nisi gravi ex causa usus est, ac ne comites quidem suos quicquam præter mercedem pro scriptura, aut hujusmodi quapiam opera debitâ, quam ipsâ etiam imminuit, accipere passus est. Ut à Rege autem discessit, Carpentoraactem venit, quò reliquam ibi hyemem maneret; seque ex assiduis laboribus reficeret: id enim ei Pontifex, ætati hominis & valetudini consulens, permiserat. Hoc quoque Sadoleti integritatis exemplum sit, quòd cum extremo legationis tempore integri mensis sumptum accepisset, atque ante exactum mensem Carpentoraactem pervenisset, decem dierum sumptum (tot enim dies reliqui fuerant) referri jussit ad quæstorem Pontificis Maximi, quamquam dissuadentibus amicis, & nimiam ejus Religionem incusantibus. Eodem tempore clientes domesticos, quorum opera strenua & fidei in legatione usus fuerat, alium alio præmio, & quidem supra facultates suas remuneratus est.

Insequenti ætate in Italiam non sine maximo Carpentoraactensium dolore discessit: eò cum venisset, interfuit colloquio Pauli

*Legatur ad  
Gallia Regem.*

Interest col-  
loquio Pauli  
Pontificis,  
ac Caroli  
Imp.

Pontificis, & Caroli Imperatoris, qui in agro Parmensi congressi sunt. Iter tum ex Hispania in Germaniam Carolus habebat: Oblata ea occasione Sadoletus magnorum laborum, quos in legatione pertulerat, fructum captum iri à se existimavit, si illum quoque ad pacem hortatus esset; redierat enim ex legatione Gallica, & animum Regis ad concordiam propensum cognoverat, vel ipse potius effecerat. Verum adeo Carolus dolore iraque exarserat, quod à Rege Galliae contra fidem datam bellum renovatum fuisset, ut neque accurata Sadoleti oratio, neque ipsius Pontificis sacra auctoritas quicquam profecerint. Is tamen postea, lenità videlicet irà, post victum & in ditionem acceptum Sicambrorum Ducem (qui Regis partes secutus fuerat) & expugnata nonnulla Galliae oppida, pacem cum eo Rege fecit. Qua ex re Sadoletus tantum lætitiæ ac voluptatis cepit, ut Deo bonorum omnium auctori ab Ecclesia sua meritum continuo honorem haberi iusserit; & scriptam ipse orationem paulò post ad Carolum miserit, per quam illius sapientiæ & moderatione animi laudatâ gratias ei egit suo, & Christianorum omnium nomine; & ad ea, quæ pro Religione & concordia, ac libertate Christiani nominis agenda restabant, eum accendere, atque incitare conatus est, cuius optatis magna jam ex parte optimi & fortissimi Imperatoris virtus pietasque respondit. Fuit enim hic vir religiosissimus incredibili adeo in rem publicam Christianam studio, ut qui pro diuturno contubernio sensus ejus satis cognitos & perspectos habuit, hoc de eo affirmare non dubitaverit: *Plus illum doloris semper ex malis hausisse communibus; contraque ex publicis commodis plus gaudii, quàm rebus suis, vel secundis latatus sit; vel adversis contristatus.*

Ejus imago  
animi.

Idem moribus fuit facillimis, animo aperto, candido, & simplici; naturâ verò ad iracundiam proclivior, cuius tamen comprimendæ assidua meditatione tantum profecerat, ut lentus potius esse videretur; ac si quando paulò esset commotior, tum maximè sedata voce & oratione uteretur. Amicitias summa cum fide, & quibuscunque potuit officiis, coluit: familiam suam ea charitate est prosecutus, ut cum de suis minimum, de illius commodis plurimum laboraret. Patrem juvenis, matrem senex ferè octogenariam amisit; ambos quoad vixerunt, summa pietate dilexit & veneratus est: Fratibus, qui ei plures fuerunt, partem suam primò paternæ hereditatis donavit, postaliis quoque haud spernendis beneficiis affecit. Adjutor ad regendam Carpentoraetenlem Ecclesiam, cum jam senex in occasu vitæ constitutus esset, ut sibi Paulus Sadoletus patruelis filius daretur, à Pontifice impetravit; idque non tam propinquitati à se datum dicere solitus est, quàm adolescentis ingenio & virtuti. In literarum studiis summâ industriâ versatus est: lucubrare Autumno ineunte benè manè incipiebat; hyeme verò multò etiam maturius: id tempus gravioribus studiis, aut scriptioni dabat; quod supererat temporis, id totum vel orationi, vel publicis negotiis tribuebat.

Hactenus ea, quæ de ejus vita memoriæ prodenda esse visa sunt, scripsimus, nunc de pio ejus obitu pauca referemus, qui quidem

dem vitæ ejus innocentissimè transactæ planè consentaneus fuit. Habitare Transtiberim cœperat in ædibus Divæ Mariæ Templo adjunctis : Ibi Autumni principio in febrem incidit, quæ levis primò ac propè contemnenda esse videbatur ; sed cùm nunquam , et si pharmacis oppugnata, statione cederet, ipse sensim deficere , morbus ingravescere cœpit. Tum is nihil cunctatus , accersiri Sacerdotem jussit : eo adhibito, ritè omnia, quæ ex more Christiano ad expiandum animum, Deumque placandum instituta sunt , servavit. Re quidem divinà coram eo factà, antequam sacrum illud & salutare ferculum acciperet, cùm Christum Deum ac conservatorem nostrum à suis sublevatus venerari, & supplici quadam oratione affari cœpisset, tantam subito lacrymarum vim profudit, ut eam precationem præ fletu ac singultibus absolvere vix potuerit. Pactus Angelico pane, unctusque ad luctum, cùm vires deficerent, lecto resedit ; ac supremis vocibus Paulo Sadoletto , qui ei summa cum pietate assistebat, Ecclesiam suam commendavit ; paulòque post defixo in Christi imaginem vultu, (bonorum omnium mœrore) piissimam animam Deo reddidit Romæ die decimo octavo Octobris anno salutis 1547. ætatis 70. sepultus sine ulla funeris pompâ, *Moritur* juxta præscriptum suum, in Esquiliiis cum sequenti epitaphio, à ne- *piissimè* potibus inscripto.

## D. O. M.

JACOBO SADOLETO EPISCOPO CARPENTORACTENSI  
S. R. F. CARDINALI PRESBYTERO:

*Viro morum gravitate, prudentiâ, & vitæ integritate  
præstantissimo :*

*Doctrina & eloquentia, cum iis, quos mirata est antiquitas,  
comparando :*

PAULUS SADOLETUS EPISCOPUS CARPENTORACTIS, ET CAMILLIUS SADOLETUS,

*Fratrum filii mœstissimi, multis cum lachrymis*

*Patruo benè merenti pro tempore posuerunt*

*Vixit annos LXX. menses III. dies VI.*

*Ejus epitaphium.*

Scriptorum aliqui in ea sunt sententia, Jacobum postremum obiisse diem non sine dati veneni suspicione; causam tamen tacent, quia ignorant. Alii illam somniant, quàm prudentiores uti à veritate alienam sine scrupulo rejiciunt ; scribunt enim, properata morte Jacobum occubuisse, quia familiaritatem inventus est habuisse cum iis, qui à Romana Religione discordabant. At hominis dignitatem in rempublicam Christianam studiosissimi violari, imminui, offendique iniquè patior ; virum hunc maledictis onerare, atque infidelitatis damnare, qui nemini probitate cessit, bonitateque inter omnes semper excelluit, turpissimum esse judico. Scripsit ille quidem, & humanissimè ad Lutheranorum aliquos, ut illos ad Christi gregem, & ad Ecclesiæ Romanæ unionem reduceret, ut testatur ipsemet his verbis : *Alterum ego cùm experiri conatus sim,*

*lite-*

*liserásque ad eorum nonnullos dederim humanè, ac sitis etiam honorificè scriptas, sentio quàm malè sim à nonnullis exceptus, qui me aut scripsisse ad hæreticos homines, aut illo modo scripsisse arguunt, ac reprehendunt. In quo ego si consilio lapsus sum, studio certè, & pietate erga Deum non sum lapsus; quid enim aliud ego quasiivi, quàm dum honorificè & comiter ad illos scribo, ut ipsi quoque ad parem moderationem, & quandam etiam benevolentiam mei inflecterent se, atque adducerentur; quod si essem adeptus, speravi majora me multò, & commodiora ad spem concordie & rationem publica utilitatis esse facturum. Pari ratione à nasutiori quodam reprehensus, quod hæretico cuidam (is erat Joannes Æcolampadius) non humaniùs modò, sed humiliùs etiam, quàm dignitas pateretur, scripsisset; quod volens ac sciens fecerat, ut illum Christo lucrifaceret, pulchrè omninò respondit. Ego apud homines gravitatem conservo; in causa Dei depono: Siquidem & David ante Arcam DEI pietatis memor fuit, non dignitatis. Exhibuit namque se, juxta Apostoli monitum, perfecti Præfulis exemplar, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret. Quam in re, cum sapientibus & insipientibus debitores simus, nemo jure reprehendi potest aut debet. Sed missis his cavillationibus, quæ prudentibus non probantur, ad enarranda ingenii ejus monumenta accingamur.*

*Esuscripta.*

*Scripsit de Pueris rectè ac liberaliter instituendis.*

*De laudibus Philosophiæ lib. 2.*

*Philosophicas consolationes & meditationes in adversis.*

*In Epistolam ad Romanos lib. 3.*

*Enarrationes in aliquot Psalmos, præsertim 50. & 93.*

*De Peccato Originali.*

*De Purgatorio.*

*De Tranquillitate vitæ.*

*De Ecclesiæ Catholicæ ædificatione, ejusdemque Defensione.*

*De Sacramentis contra Lutherum.*

*Orationem contra eundem Lutherum, ejusque sequaces.*

*De Hungariæ Regno à Turcis oppresso.*

*De Bello Turcis in ere indo ad Franciscum I. Galliæ Regem.*

*Homilia de obitu Friderici Fregosii Cardinalis.*

*Librum Poëmatum maxima parte piorum & sacrorum.*

*Epistolarum libros sexdecim: & ad Paulum Sadoletum librum unum.*

*Orationem ad Carolum V. gratulatoriam de pace.*

*Epistolam item paræneticam ad Gebennenses, qua eos hortatur, ut dimissis Novatoribus, redeant ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem, & Romani Pontificis obedientiam.*

*Nonnullas etiam Paræneses ad Erasimum de vitandis novitatibus.*

*Eum cèlebrant Cæsar Capacius in elogiis. Hieronymus Platus de Cardinalatu. Antonius Possevius in apparatu sacro. Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta. Henricus Albi in elog. Cardin. Thuanus in Hist. sui temp. Petrus Bemus in epistolis. Antonius Florebellus in Apulia. Andreas Saussay de Script. Ecclesiast. Morerius in Dict. Hist. Hoffmannus in Lexico & alii multi.*

ANNO

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## RODULPHO PIO S.R.E. CARDINALE.

**R**ODULPHUS Pius, Italus, Leonelli Carporum Comitis filius, anno nostræ salutis 1500. Sexto Nonas Maij in lucem editus est ex nobili Pia familia, quæ in Carpensibus, Meldulanis, Sarfinensibus Italiæ populis per multos annos dominata est. Hic quamvis natu major propagationi familiæ destinatus esset, Ecclesiasticæ tamen militiæ castra secutus, Deo à puero se devovit, tantæque virtutis ab ineunte ætate signa dedit, ut ex primis illis veluti ignibus, faustisque initiis, ingentis cujusdam pietatis flammam, progressu temporis inde erupturam, nemo non portenderet. Eminentis itaque feliciter Patavii Philosophiæ ac Theologiæ studiis, vitæ integritate jam percelebris, ac bonarum literarum suppellectili instructissimus Romam petiit Clemente VII. ad clavum Ecclesiæ sedente: à quo tum in gratiam Leonelli parentis de Medicea familia optimè meriti; tum ob proprias, & egregias personæ suæ dotes Faventino Episcopatu donatus est anno 1528. ac septennio post, cum operam suam, fidem, integritatem, atque prudentiam, non solum in Episcopali munere, quo præclarè perfunctus; sed in aliis etiam Romanæ Curiaë officiis, quibus adhibitus est, Clementi VII. cumulativè probasset, in Galliam ad Franciscum I. Regem conciliandæ pacis causa missus est. Qua in legatione, cum Reipublicæ Christianæ maximè utilis censeretur, à Paulo III. qui Clementi successit, confirmatus, ac triennio post ab eodem in numerum Cardinalium absens relatus, titulo Presbyteri S. Prudentiæ primùm; mox S. Priscæ, deinde S. Clementis; demum S. Mariæ Transyberim ornatus est.

XLVII.

Rodolphus  
Pius quiseElevatur ab-  
sens in Car-  
dinalem.

Hic Francisco Regi Galliarum licèt gratissimus esset, non propterea Carolo Cæsari Francisci Regis æmulo invisus extitit. Unde ad eundem Carolum bis tanquam pacis Angelus missus, bellum Parmense, quo tota Insabria, imò & Italia conturbabatur, utcunque restinxit. Paulo III. summo Pontifice Româ absente, urbis præfecturæ admotus, tanta æquitate, justitia, & autoritate reipublicam moderatus est, ut magni Cardinalis, ac æternâ memoriâ digni nomen, apud Romanos consecutus fuerit. Exinde Anconitanis & Picentibus Legatus datus, pari prudentia ac moderatione apud eos floruit. Quin & immortalem sui memoriam (ut refert Oldoinus in vita) ad posteros transmisit, quando Legati partes agens, Anconæ portum propugnaculis munivit; & constitutiones illas, quas ab Ægidio Cardinale Albernotio pridem latas & scriptas, *Ægidianas* vocant (uti libro 2. Purpuræ Doctræ num. 99. indicavimus) purgavit & auxit, atque ad illud tempus, summo reipublicæ emolumento, accommodavit.

Angelus Pa-  
cis.

Patronus  
constituitur  
Ord. Franc.  
& Soc. Jesu.

Cæterum bis in Urbe Romana, ejusque districtu, mandante Paulo III. Apostolica legatione functus est. Eiusdemque Pauli imperio, Ordinis Franciscani, & Societatis JESU patrociniū demandatum habuit. Ædis verò Lauretanæ post Cardinalis Contareni obitum Protector constitutus, cum minorem in ea Sacerdotum numerum animadverteret, quàm & assiduus advenarum concursus, & loci sanctitas postularet, de collocandis in eâ patribus Societatis JESU, fundandoque Collegio agere cœpit; ac re cum Ignatio primùm; deinde cum aliquot è primariis Cardinalibus, & ad extremum cum ipso Pontifice maximo communicatâ, adeo est probata ejus sententia Pontifici, ut illo præcipiente S. Ignatius è vestigio, ut refert Orlandinus, quatuordecim Sacerdotes eo mitti jussit, qui peregrinorum confessionibus audiendis sedulam assiduamque navarent operam. Cujus rei utilitatem & beneficium Rodulphi pietatis Societas JESU debet, qui sacre hujusce colonie illuc deducendæ Pontifici primus author & fautor extitit. Inò cum Robertus Croyus Cameracensis Præsul in Dicecesi sua ejusdem Societatis homines à divini verbi prædicatione, & sacrorum administratione prohibuisset, Rodolphus Societatis JESU Patronus commendatitias literas Apostolico Nuncio scripsit, ut medio Carolo Imperatore, Bruxellis tunc temporis degente, Episcopum induceret ad edictum illud, quod in Patres publicaverat, delendum. Quare merito Jacobus Lainius primus à S. Ignatio Societatis JESU Generalis in paterna Cardinalis providentia plurimùm conquievit; seque illi cum tota sua Societate adversus malevolos tuendos tradidit, ut patet ex ejusdem Lainii insigni epistola ad ipsum Rodolphum Protectorem scripta; quam refert in actis Rodulphi, Augustinus Oldoinus ejusdem Instituti Sacerdos.

Felicem Perettum, postea Papam sub nomine Sixti P. pro Theologo domestico habet.

Cum verò idem Rodolphus totius etiam Franciscani Ordinis, ut diximus, patrociniū suscepisset, Felicem Perettum ejusdem Ordinis professorem (qui postea sub annum 1585. in Beati Petri Cathedra sub nomine Sixti V. sedit) ex humili sorte, sed ad magna natum, pro Theologo familiari domi suæ habuit; illum Inquisitorem hæreticæ pravitatis factum Venetias misit, atque ad honores monasticos, Episcopalis gradus eminentiam provexit; unde Cardinalis primus, demum summus Pontifex evasit. Religiosos pariter viros, Capucinos dictos, paterno sinu excepit & fovit; eorumque institutum in ipso enascentis familie primordio, apud Pontificem, donec approbatum est, protexit; & indefessâ curâ atque sollicitudine à variis persecutionum procellis tutatus est.

A Carolo V. omnium Regnorum suorum, & Rom. Imp. Protector eligitur.

A Carolo V. Imp. omnium regnorum suorum, ac Romani itidem Imperii Protector electus, quoad vixit, maximâ Principū gratiâ hanc sibi demandatam provinciam exercuit: quo in munere ita prudenter se gessit, ut ab eodem Imperatore Carolo ad Agrigentinum Episcopatum promoveri; & à Philippo II. Caroli filio decem millibus aureorū in singulos annos donari dignus sit judicatus. Fuit & Ecclesiarū regni Scotici difficillimis temporibus Protector, nec non Xenodochii S. Hieronymi Illyricorum de Urbe, & Patrimonii Legatus, quo munere dum præclare fungeretur, Romanæ Curie morum, & supremus rerū fidei,

fidei, cum quatuor aliis doctissimis Cardinalibus, censor est renunciatus. Quin & postea diversis temporibus ob virtutis, justitiæ, & doctrinæ præstantiam creatus est primò Episcopus Albanensis; mox Tusculanus; inde Portuensis; ac demum Ostiensis, & sacri Collegii Decanus; ut nullum adeò fuerit in Romana Curia publicum munus, quod ipse vitæ comite non gesserit; aut ulla Ecclesiastica dignitas, ad quam gradatim non ascenderit, solo pontificali fastigio excepto, ad quod tamen in comitiis Pij IV. multorum suffragiis postulatus reperitur, ut auctor est ex Spondano Oldoinus.

Tot ergo, tantisque virtutum & dignitatum coronis ornatus, eodem die recurrente, quo in lucem venerat, sexto nimirum Nonas *Ejus obitus.* Maji, anno salutis 1564. mortalitatis compede solutus est. Post obitum conditus in Templo SS. Trinitatis juxta montem Pincium, nobile sepulchrum habuit, quod Pius V. Pontifex Maximus, qua erat in Deum & homines pietate, illi erigendum curavit cum præclaro hoc elogio marmoris inciso.

QUI DORMIUNT IN TERRÆ PULVERE,  
SONANTE TUBA EVIGILABUNT.

RODULPHO PIO CARDINALI CARPENSI, PRINCIPI SENATUS,  
AMPLISSIMIS ECCLESIE DEI MUNERIBUS SINGULARI PRUDENTIA  
PERFUNCTO, JURIS ECCLESIASTICI DEFENSORI, ET SACRORUM  
ORDINUM AMATORI NULLI SECUNDO, VIRO AD BENEFICENTIAM NATO,  
PIUS V. PONT. MAX.

*Elogium fune-*  
*bre.*

HOC AMORIS MONUMENTUM POSUIT.  
ANNO SALUTIS M. D. LXVIII.  
PONT. SUI III.

Fuit Rodolphus Cardinalis Pius, vitæ integritate, animi magnitudine, doctrinæ præstantia, & rerum præclare gestarum luce illustris; quin & venerandæ antiquitatis, ut testatur Oldoinus, indagator studiosissimus. Quapropter Leonelli parentis vestigia secutus, signa, statuas è marmore, aut ære conflatas, veteresque urnas, ac cippos, aut alias inscriptiones, Epitaphia, monumenta; nec non exquisitæ artis picturas toto orbe conquisitas, grandive pretio cemptas in suum Campi Martij palatium, hortosque *Carpenses* ab ipso denominatos, in Quirinali sitos miro distribuit ordine ad publicam utilitatem, Urbisque ornatum. In Lauretano B. Virginis Templo, adjectisque ædibus ad hodiernum usque diem multa illustria dona & monumenta hujusce Cardinalis conspiciuntur, quæ pietate ductus Sacratæ Virgini obtulit.

*Ejus Enco-*  
*mii effigies.*

Scriptit complures insignes orationes.  
Epistolas item varias.

*Ejus scripta.*

Composuit etiam leges saluberrimas pro Clero & populo Lauretano in officio continendis.

*De eo agunt Antonius Sanderus in elog. Cardin. P. Jovius in Hist. Ludovicus Donius d'Ar-*  
*tichy in Hist. Cardin. Nicolaus Orlandinus in Hist. Soc. JESU. Horatius Turfelinus in*  
*Hist. Laur. Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana. Aubery in vita. Franciscus*  
*Scottus in Itirner, Ital. Ughellius in Ital. Sacr. Panyinius de Rom. Pont. & alii.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## HIERONYMO ALEANDRO

### S. R. E. CARDINALE.

XLVIII.  
Aleander  
quis?

**H**IERONYMUS Aleander Mottensis è Comitibus Landri prope Forum Julii in Oppido Motta anno nostræ salutis 1480. die 13. Februarii natus, in parentes habuit Franciscum Aleandrum præstantissimum medicum, & Bartholomæam Bonfiliam Venetam, patricii ordinis matronam. Hieronymus divino propè ingenio præditus, literis operam navavit primum Venetiis, deinde in Oppido Portusnaonis in Fori Julii regione; ubi (mirum dictu!) annos natus nonnisi quindecim, bonos authores publicè interpretari cœpit, accurrentibus undique tam laicis quàm Ecclesiasticis ad audiendum juvenem Magistrum nondum lanugine tectum. Disciplinis omnibus inhians, paulò post à Daniele Patavino magni nominis Astrologo res Astrologicas ea felicitate ac promptitudine didicit, ut non modò cœqualibus, sed ipsi etiam magistro summæ admirationi esset. Tum ad Medicam facultatem hauriendam conversus, eandem pari facilitate doctus est: cum enim Græcas literas ad amissim calleret; & pater Græci sermonis ignarus, ejus opera in Hippocratis & Galeni locis perpendendis uteretur, eam artem haud difficulter adeptus est.

Hebræum  
celeberrimū,  
Christianū  
facit.

Anno proximo, qui fuit Christi 1498. à Moysè Perez Hebræo Legionensi, viro in dogmate suo excellenti, Hebraicas literas edoceri voluit; quem, qua erat pietate, ut religioni Christianæ nomen daret, lucidissimis rationibus adeò convicit, ut is sacro baptismate initiari, ac Hieronymus de ejus nomine appellari petierit. Is autem literis Perezio doctore adeò profecerat Aleander, ut eo ipso anno Venetias accitus sit, ad instruendum in lingua Hebraica Sebastianum Priulum Nicosiensem Archiepiscopum. Præter humaniores literas, infatigabilemque librorum omnis generis lectionem, Philosophiæ, ac Theologiæ seriò studuit; & decimum nonum ætatis annum agens, coram Prætorè & populo Veneto, institutâ de Angelis disputatione, cum Joanne Paseto Epirota, claro Theologo ita eruditè disseruit, ut omnibus admirationi esset, famamque excellentis Theologi tulerit. Vigesimo ætatis anno, publico stipendio conductus, Tusculanas Ciceronis Quæstiones Venetiis nobilissimis auditoribus explicuit; ubi ex vehementi vocis intensione, ruptâ in pulmonibus venâ, periculum vitæ adiit. Sed amicorum sollicitudine præstantissimos medicos adhibentium curatus est.

Vir doctissimus.

Testimonio  
Aldi Manu-  
rii Lingua-  
rum peritiâ  
collit.

Aldus Manutius, vir à multiplici doctrina, librisque editis clarus, in præfatione Iliados Homeri Venetæ editionis, disertis verbis fatetur, Hieronymum annum vigesimum quartum nondum natum, præter Græcam, Hebraicamque linguas, quas perfectè callebat,

bat, Chaldaea tunc & Arabica sedulo vacasse; in Latina vero adeo profecisse, ut Lyricorum, Sylvarum, Epigrammatum, & Jambicorum omne genus carminum, jam tum magnos eruditosque libros; soluto vero sermone Epistolas, Orationes, Dialogos, & alia id genus plura felici stylo conscripserit. Erat praeterea, eodem teste, Musices, & Mathematicarum artium peritus; studiumque liberalium omnium disciplinarum consecutus fuerat. Nec minus Graecas Epistolas, & Dialogos, Lucianum (quo ob sermonis nitorem delectabatur) imitatus, erudite expressit. Graecos vero versus illius venustatis & praestantiae fudit, ut Michael Humilbergius Graecè doctissimus, talem eum vatem nuncupaverit, qui uni Homero cederet.

Ludovicus XII. Galliarum Rex, litterarum fautor & cultor egregius, Hieronymum, virtutis & nominis celebritate agnitum Anno salutis 1508. Parisios regis literis invitavit, ut in florentissima illius Urbis Academia bonas literas, quingentorum aureorum stipendio constituto, profiteretur. Id quod egregie & summo omnium plausu & utilitate praestitit, ut Arnoldus Ferronius in vita Ludovici Regis innuit. Altero abhinc anno, qui fuit Christi 1509. ob egregiam navatam operam *naturalitatis*, ut aiunt, privilegio à Rege donatus, sacris, quod jam dudum decreverat, initiatus est. Rector Universitatis, Sorbonensium suffragio electus, praefuit biennio Universitati. Grassante postmodum peste, ne eam corripere, primùm Aureliam, inde Blesios concessit. Remittente lue, Parisios iterum evocatus Praesuli Parisiensi honestissimis ipsum conditionibus allicienti, annos minimùm duos adhæsit.

Anno autem 1514. Erardus Marcuanus, dictus *de la Marck*, Princeps & Episcopus Leodiensis (cujus acta libro III. Purpuræ doctæ n. 101. descripsimus) Parisiensi Antistite ægrè permittente Hieronymum ad se allectum, Secretarium & Cancellarium suum instituit, Canonicatūque in Æde Cathedrali, & Præposituram S. Joannis cohonestavit. Biennio elapso, cum Erardus Romanam purpuram, procurante Carolo Austro, ornari cuperet, Romam Hieronymum suo nomine proficisci iussit, qui difficultates ea in re obortas, quas Rex Galliae Erardo inimicus moverat, dissiparet. Leo X. tunc Romanus Pontifex, Hieronymi memoriam, multiplices disciplinas & linguas, prudentiam & probitatem demiratus, ab Erardo purpuram à se donato, ut eum apud Julium Cardinalem Medicum (qui postea Clemens VII. evasit) esse vellet, affecutus est.

Anno 1519. ipso die 27. Julii, quo Zenobius Acciajulus è vivis excefferat, Bibliothecæ Vaticanæ à Leone praefectus est, quam praefecturam tametsi absens in legationibus, quibus tum pro Ecclesiaungebatur, contra morem retinuit. Anno proximè secuto, ob hæresim à Luthero Apostata in Germania disseminatam, turbasque inde exortas, à Leone Legatus in Germaniam missus: ubi quamvis strenuè pro Ecclesia Dei adversus hæresim pugnasset, cum tamen res armis potius quam ratione ageretur, Luthero & asseclis nihil sanè admittentibus, quin & necem Legato machinantibus, re infecta Romam repetiit. Leone mortuo, Hadrianus VI. Successor

Præpositus  
Valentina  
Ecclesie.

eundem magno in pretio habuit, mirificèque dilexit; cui aliquando coram Patribus dixit: daturum se operam, ut homines, quanti ejus essent apud sedem Apostolicam merita, palàm agnoscerent; statimque canonicatum & Præposituram in Valentina Ecclesia, quorum annui redditus sexcentorum aureorum erant, in eum contulit. Eo tempore, cum Theophilus Alexandrinus Patriarcha literas ad Hadrianum Pontificem dedisset, quibus Apostolicæ Sedi se profitebatur obnoxium, eique in omnibus canonicam obedientiam, & solemne obsequium ultrò deferebat, ipsūque caput Ecclesiæ, ac verum Christi in terris Vicarium agnoscebat, Hieronymus eas literas, ut in sacro Senatu ab omnibus intelligerentur, ex Græco in Latinum sermonem transtulit, atque unà cum interpretatione in confessu Patrum clara voce prælegit.

Archiepiscopus  
Brundusinus &  
Oretanus  
constituitur.

Surrepto è vivis Hadriano, mox ut Clemens VII. Romanum Solium conscendit, Hieronymi merita præmiaturus, eum anno salutis 1524. Archiepiscopum Brundusinum & Oretanum, annuente Cæsare, creavit; nec multò post Internuncium Apostolicum apud Franciscum Primum Gallorum Regem institutum Romam dimisit. Ea legatio ob infaustam Regis captivitatem Hieronymo exitialis fuit, nam & ipse cum Rege ab Hispanis captus, malèque habitus atque abductus est. Cæsar præstantissimi viri sortem miseratus, eundem muneribus & libertate donatum Romam remisit, ubi impetratà à Pontifice venià, aliquantulum respiraturus, ad Ecclesiam Brundusinam se recepit. Transacto biennio iterum Romam à Clemente accitus, rursus in Germaniam Legatus proficisci est iussus; ubi cum nihil ipsi cum hæreticis salutaria quæque respuentibus conveniret, abrupta cum indignatione legatione, Clementis jussu ad Venetos Internuncius pontificius ivit, cujus in munere operam & Venetus Senatus, & Pontifex probarunt. Venetiis hæsit usque ad Maij dimidium anni 1534. quo anno Paulus III. extincto Clemente, Pontifex salutatus, Romam accersitum publicis negotiis præfecit; ac biennio post de eo in sacrum Senatum legendo consilia cum Patribus agitavit. Hic rumor cum in publicum promanasset, mox insurgentes æmuli quidam Paulo ea intentione occupato infusurarunt; Hieronymi promotionem tum Ferdinandum Regem Romanorum, tum alios Germaniæ Principes agrè laturos quod is in Germania constitutus in Lutherum ac Lutheranos nimis acris fuisset; quin & concordiam, quæ tunc agitabatur, magno reipublicæ incommodo impediri posse. Hinc factum est, ut Paulus falsis delationibus circumventus, decreta promotione & declaratione superfederit. Id quod summam molestiam viris bonis, Ecclesiæ incommodum spectantibus attulit; præcipuè verò Cardinali Sadoletto, qui rei indignitate commotus, hisce literis apud Paulum conquestus est.

Sadoleti li-  
tera ad san-  
ctissimum in  
c. causa Ale-  
andri.

*Incredibile est, Pater sancte, quantum dolorem acceperim, quod summus & doctissimus vir Hieronymus Alexander Brundusinus Antistes ab eo honore exciderit, ad quem ego vocatus sum: Quo adjutore & socio, ambobus nobis, studio locoque conjunctis, alacris animo eram, planèque Deo fretus confidebam, nos non modo apertos impetus hostium, sed absconditas etiam*

*inst-*

*insidias facile propulsaturos. Multa enim collecta sunt in eo homine magna atque præstantia, quæ in cæteris singula vix insunt, eaque omnia maximè & huic tempori, & huic causæ necessaria. Linguarum summa cognitio; Conciliorum, rerumque, quæ ad eam rationem pertinent, omnium memoria, scientiæque admirabilis; usus & consuetudo cum exteris nationibus, ac cum Germanica natione præsertim; in qua diu & acriter negotia Catholica fidei tractavit. Quò ergo tantum bonum à nobis rejectum est? nollem detrabere cuiquam, non enim id natura, nec consuetudinis est mea, sed tamen Sedis Apostolica amor, qui mihi penitus insitus est, vincet in hoc loco naturam. Etenim si confidit Sanctitas sua, res benè processuras horum Theologorum ope, qui in Doctoribus istis recentioribus tantum exercitati sunt; credat mihi ipsa (in quo mentiri cupio) acerbiorè dissidio, & multiplicatis hæresibus, nos ex Concilio esse discessuros. Quamobrem, & quomodo hoc futurum putem, aut aliàs dicam, aut res ipsa indicabit. Doleo igitur, & vehementer doleo, quòd Aleandrum comitem mihi fortuna inviderit. Nam cum in me aliquid fortassè insit (quamquam exiguum id, & tenue, attamen publica causæ non importunum) id illo comite & adjutore, amplius & valentius certè erat futurum. Omnino semper consilium tuum sapiens, nihilque nisi summa ratione abs te agi solet; mihi tamen & dolere & timere necesse est, quod vereor, ne sit non levis plaga publica causæ injecta. Atque hic Deum testor inspectorem cordium, me hoc testimonium de illo viro, neque gratia dare, neque ulli cupiditati meæ, sed unam mihi veritatem, unam utilitatem publicam esse propositam. Neque tamen audeo id à Sanctitate tua postulare; prohibet enim pudor meus, hocque solum affirmare non dubito, si Sanctitas tua suam prudentissimam atque optimam mentem ad hunc honestandum hominem deflexerit, præter rei Christiana commodum homines tale tuum iudicium atque factum summopere esse comprobabunt.*

Re quoque à Germanis cognitâ, tam ipse Romanorum Rex, quàm Moguntinus, & Tridentinus Cardinales, aliique Catholici Principes Paulo scripserunt, ægrè se ferre, quòd tunc eum virum prætermisum scirent, qui multa & magna pro Catholica Religione, & Apostolicæ Sedis dignitate exantlasset. Quare illum Paulus anno 1538. die 13. Martii Cardinalem declarandum censuit, atque submisso pileo Presbyteris Cardinalibus titulo Sancti Chrysoni adscripsit. Relatum inter purpuratos, morâ nullâ interjectâ Legatum Synodi celebrandæ Vicentiæ unâ cum Cardinalibus Campegio & Simonetta instituit. Post tres menses Synodi tempore prorogato, eundem Cardinalem Brundusinum (sic vulgò dicebatur) ad Regem Romanorum legavit; spes enim affulserat (quamquam fallax) res religionis in Germania meliorem statum habituras. Noverat Brundusinus vertiginosa Lutheranorum ingenia, fallaci suo Antesignano haud absimilia; nihil se profecturum opinabatur: Ivit tamen in eam regionem, in qua usque ad Octobrem subsequenti anni, nullo fructu secuto, moratus est.

Redux è Germania Romam, dum egregium illud Opus de Concilio habendo, in quatuor libros divisum, molitus esset; atque etiam ut formis excuderetur, animum intendisset; lenta correptus febri cessit è vita Kalendis Februarii anno 1542. ætatis verò suæ sexagesimo secundo nondum exacto. Vitam fortassè longius produ-

*Cardinalium  
Collegio ad-  
scribitur.*

*Ejus mors.*

Inscriptio  
Tumuli.

duxisset, nisi medicis nimium credulus, cum ipse medicinae peritus, medicique præstantissimi filius, intempestivo ac immodico pharmacorum usu sibi viscera corrupisset. Levissimum autem videtur, quod habet Paulus Jovius; doluisse scilicet vehementer, ac lacrymis etiam deplorasse, quod paucorum mensium defectu ad climactericum vitæ, hoc est, trium & sexaginta annorum terminum non pervenisset; Id quod ex sola Mausolei illius inscriptione apertæ falsitatis convincitur, Græcorum versuum de mandato ipsius ibidem appositorum; qui Latine redditi sic sonant:

*Excessi è vitæ ærumnis facilisque, lubensque,*

*Ne pejora ipsa morte dehinc videam.*

His enim humanæ vitæ miseriam, quanta sit, satis indicat, cum mortem non libenter tantum se oppetere, verum etiam illam appetere, tanquam malorum vitæ finem, canit. Corpus in D. Chryfogni tumulatum, sequenti elogio ornatum memoratur.

HIERONYMO ALEANDRO MOTTENSI

*è comitibus LANDRI ORIUNDO, S. R. E. CARDINALI BRUNDUSINO, Philosophiæ & Theologiæ Doctore, Hebraica, Græca, Latina, aliquotque aliarum linguarum exoticarum ita exactè docto, ut eas rectè & aptè loqueretur & scriberet. Mox diversis legationibus pro summis Pontificibus ad omnes ferè Principes Christianos fideliter & diligenter perfuncto, & ideo in talem delapso, quanti humanam miseriam fecerit sequenti disticho de se edito testatum posteris reliquit.*

EXCESSI E VITÆ ÆRUMNIS FACILISQUE, LUBENSQUE,  
NE PEIORA IPSA MORTE DEHINC VIDEAM.

Aliud Aleandro Cardinali inscripsit Epitaphium Faustus Sabæus non ignobilis Poëta.

*Cur tumulo non inscripsi mea nomina quaris?*

*Ingratus cum sit, mutus & iste lapis:*

*Qualis eram, dicent & quis pleno ore Quirites;*

*Si magè vis, dicent, Græcus, Arabs, Solymus.*

*Ejus Elogiū.* Pluribus claruit animi dotibus, uti omnes testantur, qui de illo ingenere scripsere. Nihil ardui Clemens VII. & Paulus III. tractarunt, quin ipsum etiam absentem, velut oraculum, consularent. Insigni erat ingenos, & doctos viros liberalitate, quamvis rei familiaris angustia premeretur. Munerum contemptor inclytus; unde in Testamento suo inter alia, verba illa aureis literis scribenda extare voluit: *Nunquam in legationibus meis munus accepi.* Valetudine utebatur ut plurimum imbecilli & infirma; labore tamen in literarum studiis erat indefesso. Fuit enim amœnioribus, humanioribusque disciplinis mirè excultus, Astrologus, Medicus, Musicus, Orator, Poëta, Philosophus, Theologusque insignis, & linguarum Hebraicæ, Græcæ, Chaldaicæ, Arabicæ, aliarumque præter Latinam ad mi-

racu-

raculum peritus; ita ut, teste Jovio, pro Asiatico inter Græcos, pro Judæo inter ipsos ejusdem idioma, ac nationis homines haberetur. Tantà porro floruit memorià, ut nihil eum cuncta ferè volumina cupide perlegentem, vel rerum, vel verborum omninò subterfugerit, quin singula memoriter, vel à multis annis longo sepulta silentio recitaret.

Opera multa, eaque egregia ab ipso conscripta sunt.

*Ejus scripta*

Vastum scilicet opus adversus singulos disciplinarum professores: in quos censuram acerbiss, calamum feliciss exercuit.

Grammatica ad Græcas, & Hebraicas literas.

Dialogi duo festivissimi, quorum alter *Cicero relegatus*; alter verò *Cicero revocatus* inscribitur.

Carmina quædam, & Epigrammata.

Epistolæ, in quibus de rebus Ecclesiæ agit.

Notationes variæ de rebus variis.

Quatuor *de Concilio habendo* Libri; quos Tridentinæ Synodi usui plurimùm fuisse testatur Oldoinus.

*Agunt de eo Hieronymus Garimbertus in vitis Cardin. Franciscus Guicciardinus in Hist. Jacobus Sadoletus in Epistolis. Paulus Jovius in elog. Famianus Strada in Prolusion. Spondanus in Annal. Contelorius in Elencho Cardin. Aubery in vita. Laurentius Surius in Comment. Morenius in Diction. Histor. Jacobus Hoffmann. in Lexico Histor. & alii plures.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

REGINALDO POLO

S. R. E. CARDINALE.

**R**EGINALDUS Polus natione Anglus, Richardi Poli, Henrici VIII. Angliæ Regis fratris consobrini, Suffolciæ Ducis, & Margarithæ Comitissæ Sarisberiensis, quæ regio pariter sanguine genus ducebat, filius, natus est eodem anno, quo Carolus V. Imperator, videlicet 1500. Mense Martio. Hic non tam regii sanguinis sublimitate, quam ingenii & judicij præstantia, morum suavitate, innocentia vitæ, eruditione, defensæque religionis merito spectatissimus, adolescens adhuc in cœnobio Patrum Carthusianorum Londini primò, deinde Oxonii in Collegio Corporis Christi literis operam dedit, Thomâ Linacro, & Guillelmo Letimerio doctissimis viris, Liberalium artium magistris ac Doctoribus usus. Henricus Rex nondum deserta religione infamis, Polo tum propter eruditionem ac virtutem; tum ob arctam sanguinis propinquitatem, Oxoniensis Ecclesiæ Decanatum contulit. Annum postea agens ætatis decimum nonum, Galliarum & Italiæ desiderio accensus, Parisios primùm; mox Patavium pro-

XLIX

Polus in-

comparabi-

lis ortu, ju-

dicio, inge-

nio.

fectus Eloquentiæ simul ac Philosophiæ tam uberem impendit operam, ut maximos brevi tempore in utraque facultate faceret progressus. Fuit ei magna inter cæteros cum Petro Bembo, Aloysio Priulo, Gaspare Contareno, & Joanne Petro Caraffa familiaritas: & Priulus quidem tam arctè Polo se adjunxit, ut ad extremum usque spiritum, nullâ mercedis spe propositâ, Cardinali adhæserit, raro, & nostro sæculo inusitato fidelis amicitia exemplo. Doctissimis quoque hominibus non minùs ipse doctus usus est; in his Christophoro Longolio Belga, disertissimo ætate sua oratore, qui etiam in ejus contubernio è vivis excessit, cujus ipse postmodum vitam adolescens licet virili eruditione conscripsit. Transacto in peregrinis regionibus quinquennio, domum à suis revocatus, antè redire noluit quàm Romam vidisset. Eò delatus, postquam propositas sacri Jubilæi indulgentias lucratus fuisset, in patriam sospes remeavit; Anglis omnibus propter insignem doctrinam, pietatem, morèsque amabilissimos mirè acceptus & gratus.

*Invitatur  
ab Anna Bo-  
lena, ut in  
sententiam  
Henrici IX.  
consensiat.*

Anna Bolena Henrici Regis concubina nihil rebus suis utiliùs existimans, quàm si Reginaldum florentissimum doctrinâ & regio sanguine juvenem, Anglorum ut ita dicam pupillam, in suas partes pertraheret, omnes admovit machinas, quibus id consequeretur. Et primus aries quo constantiam juvenis impetiit, fuit oblatio duarum opulentissimarum Ecclesiarum, nimirum Eboracensis & Vuintoniensis (è quarum alterutrâ sexaginta aureorum millia annuatim colligebantur) ut quam sibi mallet, eligeret. Verùm amplissimis Annæ promissis cum nihil moveretur clarissimus juvenis, nondum vigesimum octavum ætatis annum egressus; à fratribus tamen fortiter instantibus assiduò urgeretur, ut vel simulans uno alteròve verbo, aut nutu, Regis à Catharina divortium approbaret, tandem cogitare cœpit apud se, quàm ratione (tuta conscientia) cupidissimo Regi satisfacere; quòve pacto conceptam in se suosque ipsius iram avertere posset. Disposito itaque ad aliqualem favorem animo, Regem sese vocantem adiit, à quo humanissimè exceptus, cum ea dicere pararet, quæ sibi proposuerat, verba scilicet Regi placitura, vix os ad loquendum aperuerat, cum ecce statim quasi fulmine tactus (Deo, qui corda & linguas hominum dirigit, ita volente) sic obmutuit, ut lingua faucibus hærente, ea, quæ mente conceperat, verba neququam exprimere valeret. E contrario omnia, quæ suppressere aut dissimulare constituerat, ultrò currentibus verbis, Regi propalaret; ejusque impietatem simul ac causæ iniquitatem pluribus redargueret ac detestaretur; apertè prænunciando, neminem inventurum Regem, causæ iniquissimæ suæ patronum, nisi eum fortassè, quem par impietas, aut fames, non certè fama moveret, & ne hunc quidem tam promptè, quàm ipse speraret: quòd causa divortii sui utpotè fidei contraria, & legibus damnata esset, & à probis omnibus explora.

Quæ cum pluribus Regi aliàs naturâ ferventi & supra modum iracundo, magnâ divini Spiritus, à quo manifestè agebatur libertate pronunciaisset, adeò excanduit Rex sui impotens, ut

arrepto semel iterumque pugione Polum manu propria tentavit occidere: sed denique suorum exoratu ad mitiora persuasus, oculis avertatum è conspectu protinus facessere iussit. Fessus tamen subinde est, ubi ira resedit, Polum sibi charissimum semper mansisse, neque se unquam illum odio habere posse ob admirabilem ejus virtutem, ac ingenium amabilissimum. Unde, cum iram Polus, quam incurrerat, declinaturus, Avenionem primum, indeque Patavium se recipisset, Henricus, qui jam eo cæcitatatis devenerat, ut se Ecclesiæ Anglicanæ caput plenis regni comitiis declararet, eorum acta per velocissimum cursorem ad Polum Patavium usque transmisit, literis ad eum humanissimè scriptis flagitans, ut cum ipsi sanguine conjunctus esset, in ejus gratiam (quam ipse omni majore beneficio, Cantuariensem infulam designans, compensaturus esset) aliquid pro causa divortii, quod cum Catharina uxore sua meditabatur, rescriberet. In his angustiis non diu dubitavit fortissimus Christianæ fidei athleta Polus, quid ageret, aut responderet, quidve consilii caperet; cum hinc oculis ejus obversaretur indignatio Regis certæ illi mortis ac exitii nuncia; illinc divini judicii metus, si vel minis territus, vel aulæ blanditiis delinitus conscientiam læderet, mendaciòque in retanti momenti faveret. Quam ob rem se ipso fortior, oblatum sibi à Rege honorem non admisit; *nolle se, cum gravatâ crimine conscientia in consilium impiorum abire; nec cum salutis dispendio lubricam Regis gratiam mercari.* Dedit igitur ad Henricum Regem gravissimas literas, quibus ei quàm vana esset, futilisque ac impia sui Pseudoprimitus electio, meridiano sole clariùs demonstravit; simul & inanis ille conatus, quo nullum fuisse, quod inierat, matrimonium cum Catharina Hispana probare contendit; nec mirari satis se posse asserens, quo pacto tantam pecuniæ vim effundi passus esset ad infamiæ non mediocris notam sibi perpetuò inurendam, qua per viginti solidos annos incæstuosis nuptiis illigatus fuisse existimaretur. Quod autem per privatas literas Henrico significavit, id multò magis, apertiusque Anglis omnibus professus est, editâ publicâ fidei confessione, quam quatuor mensium spatio confectam, totidemque libris comprehensam, *Unitatis Ecclesiasticæ Defensionem ad Henricum VIII. Angliæ Regem &c.* appellavit: his quatuor libris quintum etiam adjunxit ad Eduardum VI. ejusdem Henrici filium & successorem, qui prioribus libris præfationis loco est.

Tantus hic vir Latinis, Græcis, Hebraicisque literis præter Philosophiam ac Theologiam apprimè eruditus, dum in divinæ scripturæ studio magnâ cum animi voluptate & profectu, quasi in amœno spiritalium deliciarum horto conquiesceret; derepentè à Paulo III. Romano Pontifice cum aliis præstantissimis viris Romam evocatus est, ut ejus consilio & operâ ratio aliqua iniretur, qua disciplina Ecclesiastica multum eo tempore corrupta & labefactata corrigi posset & restitui. Inter hæc admonitus Polus consilii pontificii, quo ad sacri Senatûs honorem vocabatur, precibus & orationibus egit apud Pontificem, ut sin minus à proposito ipsum creandi Cardinalem penitus avertere posset, saltem id in aliud tempus differ-

differret, quo Ecclesiæ Anglicanæ utilior esset, Regemque jam libro suo *de unitate Ecclesiastica* offensum minùs exasperaret; minùsque in se suosque, quos illic habebat, concitaret.

Fit Cardi-  
nalis.

Annuit tum dictis optimus Pontifex. Verùm convocato postea ad multorum instantiam Consistorio, ut aliquot alios purpurâ pro Ecclesiæ necessitate insigniret, sensit se divino quodam nutu ac motu impelli ad Polum reliquis adjungendum. Quare eundem die 20. Decembris anni 1536. Diaconum Cardinalem SS. Nerei & Achillei, nullo deprecationi relicto loco, creavit. Henricus Rex accepto Roma tali nuncio in furorem actus, nullâ vel religionis, vel propinquitatis tactus ratione, cruentissimæ persecutionis telam exorsus est, Poli Cardinalis fratribus aut internecioni datis, aut fugâ vitam redimere coactis. Imò Margaritham ipsam Sarisberia Comitissam Poli matrem, clarissimam pientissimamque matronam, septuagenariâ majorem, nulla ætatis, sexûs, aut cognationis habita religione, publico in foro capite plecti jussit, quod literas officii plenas à filio, inscio Rege, accepisset; quodque, cum esset ipsa regia Eboracensi familiâ nata, sacram imaginem quinque vulnerum Christi ferret in pectore, quod erat Eboracensium scutum, qui sub illis insignibus arma primi pro Christiana religione sumplerant. Quæ Rex malignè sui odio facta interpretabatur, vel certè studio Domûs Eboracensis, quæ Lancastrensi, è qua Henricus ortum ducebat, inimica erat & æmula.

Fuit Rex,  
quod Polum  
comprehen-  
dere neque-  
at.

Verùm si res propiùs spectetur, dicendum, Regem ex eo capite in furorem versum, quod Polum, qui ex ejus manibus elapsus Apologiam pro Pontifice conscripserat, comprehendere nequisset, ac sic matrem, vindictæ causâ, pro filio crudeliter mactasse & immolasse. Cujus casûs tristi nuncio ad Polum Perlato, qui ei erat ab epistolis, rem quamdiu potuit celavit; sed ubi illam per literas didicit, his eum verbis allocutus est: *Cur mihi tam gratum nuncium invidisti? ego certè mihi hæcenus gratulabar, me illa parente progenitum, quæ majorum nobilitati pietatem junxisset: at quas nunc Deo gratias referam, non habeo, qui me cœlitem & Christi martyrem habere voluit, quæ abscisso pro Christiana fidei causa, sævi Tyranni jussu, collo, nobilissimam martyrii lauream, triumphumque reportavit. Felix proinde mater, felices & nos, qui novam in cælo patronam nacti sumus; quæque nos exemplo domestico animavit ad quævis adversa constanter ferenda.* Eumque ita dimittens lacrymis probè perfusum, in oratorium suum intimum se recepit, enixè à DEO petens, ut optatissimam eandem sibi gratiam, pro Christo mortem oppetendi, concedere dignaretur.

Henricus  
Matrem,  
Patrem, Fa-  
miliam Poli  
neci dat.

Neque matrem tantum Poli, sed & fratrem ejus ac nepotem aliosque ex illustri familia propinquos martyrio affecit Henricus: quin & in ipsum quoque Polum, persecutionis gladium extendere satagens, quinquaginta aureorum millia, publicâ præconis voce, proposuit ei, qui necem illi inferret. Nec defuere, qui spe tantæ mercedis tantum scelus aggredierentur. Inveni namque sunt, qui id auderent, Itali tres, & Angli duo: pro quibus tamen ipse (raro clementiæ exemplo) interceptis, ne supplicio afficerentur, inter-

cessit:

cessit: Cúmque gratiam pro Italis obtinuisset, doluit, se idem pro Anglis impetrare non potuisse, qui ignito ferro adusti, ad triremes damnati sunt.

Inter hæc à Paulo Romano Pontifice legatio in Galliam ad Franciscum Regem eidem commissa est: Cui insistens, amplissimis honoribus Parisiis à Rege exceptus, palatium pro diversorio oblatum habuit Principe dignum. Verùm Henricus, ut eum Parisiis allapsum, regiéque exceptum intellexit, iracundiâ exardens, per Oratorem suum cum Francisco Galliarum Rege egit, ut Polum, quem perduellionis læsæque Majestatis reum dicebat, pro ea, quæ inter ipsos intercedebat, amicitia, protinùs sub fida custodia ad se mitti curaret. Cui Regis Angli fidei desertoris postulationi Rex Christianissimus, etsi haud quaquam annuit; contra Religionem, júsque gentium esse dicens, Legatum ullum, ac præsertim summi Pontificis ad supplicium tradere; legationem tamen ulterius admittere recusavit, ne Regem Anglum offenderet, quem infensum habere nolebat, eo præsertim tempore, quo cum Carolo Cæsare tot tantasque gerebat inimicitias; sed Polo clam à ministris denunciari fecit, ut quàm celerrimè posset, è Gallia finibus se proriperet. Quare Polus nihil cunctatus, confestim Cameracum magnis itineribus contendit, nec illuc sine magno vitæ discrimine pervenit, eò quòd iter illud non modò Gallorum, verùm etiam Germanorum, & Anglorum, qui urgente Henrico in caput ejus conjuraverat, perpetuis incursionibus infestaretur. Unde etiam quidam Cardinalem Polum, tot insidiis appetitum, vestem sæpiùs mutasse scribunt, ut ignotus ea specie, incolumis evadere posset. Alii contrà tradunt, (in quibus est Florimundus Remondus Senator Burdegalensis in libro de Ortu, progressu, & interitu hæreseos) territis periculo Poli comitibus ac famulis, cùm illorum nemo Crucem sublimem, quæ Legatis Apostolicis anteferri solet, gestare ampliùs auderet, Polum ipsum invicto animo sacrum illud Salvatoris Domini, & suæ dignitatis insigne in manus assumpsisse, magnaque constantia ac fiducia erectum, usque Leodium retulisse.

Erardus à Marka Cardinalis, natione Germanus, Episcopus Leodiensis (cujus vitam libro hoc IV. Purpuræ doctæ n. 23. descripsimus) ne Legatus Romani Pontificis per Belgium erraret, tutissimum, imò & splendidissimum ei obtulit hospitium in ipsa sua civitate Leodiensi, publica fide interposità pro ejus tutela. Quo audito Henricus Rex statim per nuncios, & literas egit cum Senatu Belgico, cui tunc Erardus præerat, ut sibi Polum traderet, spondens se, si id faceret, Gallicas partes relicturum, Cæsarique adhæsurum; ac quatuor millia peditum suis sumptibus in ejus auxilium missurum, sexque mensium stipendia è vestigio in manibus Senatorum deponiturum. Quæ, cùm Erardus subtristis Polo, post sex mensium tutam & quietam Leodii habitationem, declarasset; Henrici amentiam, caputque suum pluribus aureorum millibus æstimatum miratus, Erardo subridens dixit: *Jam dudum quidem se vita hujus radio affectum mortem cupivisse, corporisque depositionem; ac proinde Henricum omnibus suis conatibus nihil aliud facere, quàm si quis*

Legatus  
Polus in  
Galliam

Leodii sub  
umbra Car-  
din. à Mar-  
ck, tutus  
tantisper  
quiescit

*dormitum ire cupienti vestem velit detrahere: facilius ergo se vitam deponere, quam ille vestem, paratum esse. Se tamen sua in potestate non esse, sed Pontificis.*

*Evocatur  
Romam.*

Paulus Romanus Pontifex id resciscens, evocato Romam ex Belgio Cardinali Polo, eidem armatos milites ad palatii, ac personæ suæ custodiam assignavit: Erardum vero, quod Cardinalem Polum Legatum hospitio suo perbenignè suscepisset, Legati Apostolici in Belgio munere, ac prærogativa decoravit. Narrat hæc pluribus Sanderus in Schismate Anglicano, cum Poli intereà legationem Sleidanus de more corrumpens, eum idcirco missum scribat, ut Regem Franciscum in Anglos concitaret. Sparserunt enim in vulgus Angli, qui à perfido Rege stabant, Cardinalem Polum ita cum fratre suo, qui apud Regem absque ulla suspitione vivebat, pepigisse, ut Cardinalis exercitum sumptibus Papæ colligendum per Galliam duceret, simul atque accederet ad fines regni, tumultum frater ejus in Anglia cum aliis conjuratis excitaret: quo Rex occupatus in placandis intestinis motibus adversus exterum hostem defendere se non posset: Verùm priusquam Cardinalis cum exercitu adventaret, detectam esse ab Judice conspirationem; indeque percussio Poli fratre sævitum in totam cognationem esse. Quæ mera commenta fuisse turpissimorum hæreticorum, probatis Scriptoribus extra dubium est.

*Tridentum  
legatur  
Præfaturus  
Concilio.*

Legatione Viterbiensi deinde donatus Polus à Romano Pontifice totum se Orationi, studiis, & quieti dedit: à qua legatione non multo post Tridentum, ut indicto ibi Concilio præfesset, missus est. At Paulo III. Quarto Idus Novembris anni 1549. è vivis erepto, tanta fuit Cardinalium in Polum animorum conspiratio, ut duo tantum illi ad assequendum supremum Sacerdotium Suffragia defuerint. Cùmque nocte quadam ad eum convenientes Cardinales ipsum pro more Pontificem adoraturi, Aloysium Priulum patricium Venetum, familiarem suum à conclavi, ut eum dormientem excitaret, jussissent, idque expergefacto Priulus præ gaudio gestiens nunciasset, increpuit hominem amicè, jamque ad se accedentes Purpuratos repulit: *Nolle se, inquit, rem tantam, quam perimiscendam potius, quam appetendam censeres, tumultuosè ac temerè, sed rectè atque ordine agi; alienum esse noctis tempus; Deum lucis non tenebrarum Deum esse; rem igitur in proximam lucem differri debere; tunc enim, se Deo ita visum esset, melius confici posse.* Hac igitur interposita morà noctis, distractæ multorum voluntates ab illo ad Julium mox adorandum coière. At Julium tanti decus fastigii non nisi à Polo Cardinali sibi veluti de manibus traditum, prædicari solitum referunt. Fortissimus enim Polus, ut ajebant, muri adinstar, tanti Sacerdotii, vel adipiscendi spe, vel amittendi metu nunquam est commotus.

*Secedit sibi  
victurus.*

Post Julii III. electionem Polus Cardinalis eo annuente Romam discedens, ad Cœnobium quoddam agri Veronensis *Maguzanum* vulgò appellatum, ad religiosos viros sancti P. Benedicti spectans, quorum ipse patrociniū gerebat, secessit. Ibi cùm semet abdere, & reliquam vitam sanctè transigere statuisset, fama, quæ increbuerat

buerat de morte Henrici, & Eduardi Regum, & quæ proximè secuta est, successione Mariæ, intra claustrum latebras delitescentem excitavit, ac Romam iterum pertraxit non invitum, quòd spem (propitio Deo) illucescere videret æternæ salutis contribulibus suis procurandæ, restituendique in integrum sanctæ Ecclesiæ statum in Anglia, quæ duo ex æquo ambiebat. Nam Maria defuncti Reges Henrici ex Catharina Hispana filia, religionis Catholicæ cultrix eximia, sceptro Anglicano, quod ad eam jure ex Testamento patris pertinebat, potita, postquam in arcem & urbem Londinensem triumphantis more ingressa est, nihil habuit antiquius, quàm ut veterem religionis cultum restitueret, primamque regno illi faciem, patris vitio fœdè deturpatam redderet. Quare illico, nullo expectato Senatûs consulto, propriæ pietatis motu, profanum primatûs Ecclesiastici titulum respuit; sanctissimos Episcopos Edmundum Londinensem, Stephanum Vintoniensem, Cuthbertum Dunelmensem, qui ob fidem Catholicam victi tenebantur; Thomam item Northfolciæ Ducem, & Odoardum Curtnerum, Marchionis Exonensis olim Henrici mandato capite cæsi filium, injustè ad perpetuos carceres damnatos, libertati & honori pristino restituit. Apostolicæ sedi, quam patris, fratrisque sui tempore etiam cum vitæ periculo constanter semper coluit, antiquum jus & honorem reddi voluit; exilii & perduellionis iniquissimam contra Reginaldum Polum latam sententiam revocavit. Præterea impias leges tam ab Henrico patre, quàm sub Eduardi nomine contra fidem, & Ecclesiam Catholicam latas abrogavit; magistros sectarum, seu adulterati Evangelii Præcones abegit; nec non antiquum orandi, psallendi, & sacrificandi morem per totam Angliam, & Hiberniam, ac reliqua sibi subjecta loca restituit; aliæque permulta in Ecclesiæ & regni beneficium piè ac salubriter sanxit. Quæ omnia in primis comitiis prudenter, & de omnium Ordinum consensu confirmari curavit. Reginaldum quoque Polum accersivit, quem & Julius III. Legatum de latere ad Carolum Cæsarem, & Franciscum Galliarum Regem transmisit.

Ut in viam se dedit Polus Cardinalis ex Maguzano Cœnobio, <sup>Hortatur</sup> congratulatorias ad Mariam Reginam literas scripsit, quibus eam, <sup>Mariam Re-</sup> ut in sancto regni sui ad pristinam gloriam, & Romanæ Ecclesiæ <sup>ginam ad</sup> obedientiam, communionemque reducendi proposito constanter <sup>servand.</sup> perseveraret, paternè hortatus est.

Ad has Maria Regina humanissimis aliis literis Legato Polo re- <sup>avitam Re-</sup> spondit, quibus impatiens ejus adventûs desiderium, constantemque <sup>ligionem.</sup> voluntatem regni sui ad avitam fidem, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ <sup>Respondet</sup> gloriosam subjectionem revocandi testata est. Porro ab ipso petiit, <sup>Regina be-</sup> ut humillimum obsequium suum Pontifici Maximo offerret, ac vi- <sup>nignè.</sup> cissim ab eo indulgentiam sibi & benedictionem impetraret.

At Carolus Cæsar statim atque accepit à Polo professionem <sup>Sufflamina-</sup> adornari in Angliam, illam, suis commodis prospiciens, retradare <sup>tur Poli ad-</sup> curavit. Ille enim cum & aliàs decrevisset filio suo Philippo Ma- <sup>ventus in</sup> riæ nuptias omnimodè conciliare, ac proinde regnum illud quasi <sup>Angliam à</sup> suum jam intueretur, displiceretque, quòd legatio illa se inconsul- <sup>Carolo V.</sup>

to suscepta esset, multò magis vereretur, ne Poli in Angliam adventus rebus suis nondum inibi constitutis damno esset, egit diligenter cum Hieronymo Dandino Cardinale, quem apud pacis tractandæ inter Galliarum Regem & ipsum, habebat Legatum, ut iter Poli aut penitus impediret, aut saltem aliquantisper retardaret. Quapropter Dandinus Legatus, ut Cæsari gratificaretur, Polo significavit, non videri è re publica esse ob multas & graves causas, ut is adhuc se in viam daret, quoad suasionibus Angli, quibus Pontificis nomen exosum antehac redditum fuerat, ad optandam, aut recipiendam pro dignitate legationem Apostolicam deducerentur; simul & fieret satis Cæsari, qui illam rebus suis, & Ecclesiæ præmaturam conquereretur. In Anglicanis comitiis de marito Mariæ deligendo, ex quo proles sperari posset, actum jam erat, & licet illa ad trigessimum octavum ferè pervenisset ætatis annum, & hætenus coelebs & illibata virginitate mansisset, tamen publicum bonum suo semper commodo præferens, ne ob sexûs imbecillitatem in suorum contemptum deveniret, nondum constituta auctoritate, regnoque à recenti factionum memoria adhuc fluctuante, plurimorum suavis de nuptiis cogitavit; atque ex tribus propositis unus erat Reginaldus Polus, qui, ut notat Spondanus, hætenus à sacris Ordinibus abstinerat; eratque è regia stirpe, & gratiâ apud suos plurimum valebat. Unde non sine causâ Cæsar (rem subodoratus) appulsum ejus in Anglia formidabat; & antequam nuptiæ cum Philippo filio suo omnino consecræ essent, illum improbat, atque prohibuit.

*Polo deser-  
tur negotiū  
pacis com-  
ponendum  
inter Cæsarem  
& Regem  
Gall.*

Cardinalis Polus cum Dandini Legati literas accepisset ultra sibi non putavit esse progrediendum, priusquam de Pontificis Maximi voluntate certior esset: Qui, cum Cæsaris potentiam augeri nollet in immensum tot provinciarum accessione, stomachatus, quod Dandinus itineri Cardinalis Poli impedimentum objecisset, illum cum indignatione Romam revocatum à legatione removit, & utramque tam in Angliam, quam ad Cæsarem, Gallorumque Regem de componenda pace uni Polo detulit. Tridentum cum pervenisset, ad utrumque Principem mox nuncios misit, maxime verò Franciscum Florabellum ad Cæsarem, cui se proximè advenire significaret. Cæsar autem, cum eum artibus, quas hætenus adhibuerat, amplius sine nota detinere non posset, illustrem virum è Curia suæ primoribus Joannem Mendozam cum mandatis transmissit, quibus apertè suo nomine diceret, vereri se, ne ejus profectio quibusdam magni momenti negotiis, quæ tum in Anglia tractarentur, obfutura esset. Quapropter rogare, ut Leodii, vel alibi quiescat, donec ipse ex animi sententia omnia confecisset. Quo nuncio accepto Polus Dilingam Academiâ nunc sub Soc. Jesu Patrum cura florentissimam, reversus, voluntatem Cæsaris expectare coactus est. Verum cum ægrè id faceret, ex postulatorias literas ad ipsum Cæsarem exaravit, ostendens quàm esset indignum, Pontificis Maximi Legatum, pacis & religionis causâ ad eum missum, in media Germania sub ipsis hæreticorum oculis, cum summo, Ecclesiæ dedecore & Pontificis contemptu, Cæsaris præsertim jussu,

deti-

detineri. Dilingæ tunc erat Dominicus à Soto Dominicanus Hispanus, magni nominis Theologus, qui Cæsari à sacris confessionibus fuerat: per eum Polus Cæsarem urgebat, ne pateretur diutius legationem impediri magno rei Christianæ, atque in primis Anglici Regni detrimento.

Soti igitur precibus, & Poli ipsius gravissimis literis commotus <sup>Cæsar Polū</sup> Cæsar Bruxellas ad se Polum venire, ibique subsistere, quousque <sup>ad se Bru-</sup> Philippus filius in Angliam appulisset, & nuptias cum Maria con- <sup>xellas venire</sup> tractas celebrasset, permisit. Postquam igitur Bruxellas Polus ve- <sup>permittit.</sup> nisset, ac Cæsarem, à quo perhumaniter exceptus est, salutasset, ne illic otiosus jaceret, alteram legationis partem aggressus tentavit, si qua fortè ratio iniri posset pacis inter ipsum & Gallorum Regem conciliandæ. Ac Cæsarem ea de re primum tentavit, qui se nullas honestas condiciones recusaturum respondit; sed prius inquirendum de voluntate Regis esse. Unde nullâ interpolatâ morâ Polus Legatus in Galliam advolavit. Gallus excepto regiè Polo majorem atque Cæsar concordiæ spem fecit, abeuntēque arcitiū complexus, plurimum se dolere dixit, quòd non eum ante hac novisset; nam se nullum alium, quàm ipsum creari maluisse Pontificem, si de summis ejus virtutibus magis ex fide fuisset edoctus. Rediit ergo ad Cæsarem lætus, non sine magna spe pacis obtinendæ: Impetravit ab utroque, ut ad colloquium publicum delegatos mitterent; ab armis utrinque cessaretur; & ab utraque parte obsides deducerentur, donec de rei exitu constaret. Completis hisce postulatis indictâ die omnes Principum delegati cum Polo ad locum in agro Caletensi Gravelingam inter & Ardrum præparatum convenerunt, ibique post mutuas salutationes & amplexus discussæ ultrò citroque difficultates; utrinque propositæ ditionum occupatarum restitutiones faciendæ, & contrahenda conjugia: sed omnia sine fructu peracta, adeò exulceratis utriusque Principis animis, ac tam inveteratis vulneribus nondum coalescere valentibus.

Interea confectis Londini regio apparatus Philippi & Mariæ nuptiis, irritoque eorum conatu factò, qui Romæ apud Pontificem; in Belgio apud Cæsarem; & in Anglia apud Regem, Polo per calumnias invidiam conflare tentarant: Maria duos aulae suæ principes viros Bruxellas misit, qui Polum Legatum honorificè evoca- <sup>Proficiscitur</sup> tum, Londinum deducerent. Igitur petità à Cæsare veniâ Polus <sup>Polus in An-</sup> his se viæ comitibus die 23. Septembris anni 1554. ad iter accin- <sup>gliam.</sup> xit; & Caletò (quod erat tunc ditionis Anglicæ) paratis ad id sex navibus, secundis velis Darvernum, qui proximus est Angliæ portus, delatus est. Ibi ab Eliensi Episcopo, & Montifacuti Vicecomite honorificè exceptus, magnoque nobilium undique confluentium numero, tandem Gravesindæ ad Tamesis ripam, quæ Londino viginti miliaribus distat, obvios habuit Dunelmensem Episcopum, & Salopiensem Comitem, qui de adventu gratulati, ipsum Regis ac Reginæ nomine plurimum salvere jusserunt, & diploma regium de ejus restitutione maximo regni sigillo ob- signatum exhibuerunt; ac insuper addiderunt, in comitiis in-

choātis magno omnium Procerum consensu actum esse, ut impia lex illa abrogaretur, qua ille hostis patriæ, atque exul declarabatur, omnique nobilitatis jure spoliabatur. Atque ut major actioni autoritas accederet, Philippum & Mariam præter morem (nam tantum semel cum coguntur, & cum dimittuntur, ad ea venire solent) comitiis interesse voluisse.

*Fausa acclamatione accipitur in Anglia.* Nono Kalend. Septembris Darverno solvens, Regum permissu argenteam Crucem, quæ legationis Apostolicæ insigne est, prolata in prora cymbæ, qua vehebatur, ut ab omnibus conspici posset, constituit, atque ita Londinum, duce Deo, se contulit. Præmissus Stephanus Vintoniensis Episcopus, regni Cancellarius cum plerisque Proceribus, navigio egredientem gratulatoria oratione excepit, indeque sub fausta immensi populi acclamatione in Regiam duxit. Philippus, qui cum Maria adhuc ad mensam sedebat, nunciato ejus in regiam ingressu, protinus confurgens ei ad primam usque portam obviam processit; Regina verò ad summas scalas consistens, venientem humanissimè excepit; tantamque voluptatem ac lætitiâ animo se capere dixit, quod illum tot periculis ereptum, saluum atque incolumen aspiceret, quantam cepisset tunc, liberam regni possessionem adiisset.

*Regem adit Legatus Polus.*

Triduo post, Regem adit Polus Legatus, ut de iis, quorum causa à Romano Pontifice missus fuerat, cum ipso ageret: Rex obviam ei rursus extra cubiculum procedens, fasciculum Romæ nuper allatum quo mandatorum amplificatio ab ipsis avidè expetita continebatur, secum detulit, ac coram lectum Polo in manus consignavit. Postridie Rex ipsum officii causa vicissim adit, simulque de rationibus, quibus regnum ad Ecclesiæ Catholicæ unionem revocaretur, cum eo egit; quæ res solemnî ritu peracta est. Nam postridie convocatis adunatisque regni Proceribus, ordinumque omnium Præfectis, conventus magnus in ipsa regia coram Regibus habitus est, cui Polus interfuit: ibi Vintoniensis regni Cancellarius cum de Poli mandatis, quæ à Pontifice missus ad Angliæ Regnum haberet, egisset; Polus ipse longam eamque tersam ac gravem orationem vernaculâ linguâ ad conventum habuit; qua cum primis Ordinibus gratias egit, quod se in patriam ac nobilitatem restituisent, sicque sibi præclusum antea ad Regnum aditum patefecissent, & facultatem ipsis inserviendi dedissent. Se vicissim venisse, ut qui in terrenam patriam ac nobilitatem ab ipsis restitutus sit, eos in cœlestem patriam ac potiorem nobilitatem restituat, qua se demum ipsi spoliassent, cum ab unitate sanctæ Ecclesiæ defecissent. Igitur monebat, ut superioris temporis, quod tot tantisque ipsis, & universo regno calamitates importaverat, errorem ingenuè agnoscerent, & ex animo detestarentur: & quod iis beneficium DEUS Vicarii sui nomine per ejus Legatum deferat, id sincera animorum alacritate acciperent, ac sedulo retinerent. Reliquum esse, ut cum ipse adesset claves afferens, quibus Ecclesiæ valvas ipsis aperiret, quemadmodum aditum sibi in patriam fecissent legibus, quæ illum excludebant, antiquatis; ita ipsi leges illas omnes abrogarent, quæ contra sedem

Apo-

Apostolicam latæ, ipsos à reliquo Ecclesiæ corpore omnino divulsos tenerent.

Hoc Poli Legati sermone, audientium animi variè affecti sunt, *Ad Poli ser-* dum statum præsentem pertæsi alii, priorem mallent; alios, qui *manem l'a-* contrariam doctrinam imbiberant, Pontificii nominis autoritas *rii Angli-æ* terreret. Secessit igitur Polus tantisper, dum deliberaretur: dein *affectus* de revocatus Vintoniensem Episcopum sic loquentem audiit: *Deo* *immortali gratias agimus, qui pro sua immensa misericordia Prophetam nobis ex nostro semine suscitavit, amplissimum scilicet Cardinalem, qui totus in salutem nostram ipsorum incumberet.* Tum, postquam beneficium à Pontifice ultrò Angliæ regno factum, aptissimis verbis extulisset, se ipsum cum cæteris errore lapsum palàm professus est, atque ut omnes tandem ad cor redirent, & resipiscerent, oblatam gratiam amplexantes, virili facundia admonuit.

Altera die, Pridie scilicet Kalendas Decembris, Cardinalis Polus ab Arondelii Comite regiæ domûs præfecto, & sex aliis primariis Equitibus, totidémque Episcopis deductus in regiam se contulit. Ibi in confessu Cancellarius circumstantes rogavit, placerétne iis, ut ipsorum nomine venia à Legato peteretur, ut ad Ecclesiæ unitatem, *Angli pœni-* atque ad eò ad Pontificis Romani, qui supremum Ecclesiæ caput *tere se, & ad* est, obedientiam redire possent? Clamore magno aliis, silentio nonnullis assentientibus, libellus supplex Regibus omnium nomine porrectus fuit, quo universi pœnitere se scissuræ, & à Romana Ecclesia *Ecclesiæ Ro-* defectionis declarabant: ac proinde rejicere se leges omnes, quæ *mana gre-* contra summum Ecclesiæ Monarcham latæ essent, & quantum in *mium re-* ipsis esset, abrogare & detestari: orabantque Reges, ut veniam *dire velle* sibi per ejus Legatum impetrarent; atque ejus beneficio in gremium Ecclesiæ tanquam filii reciperentur. Postquam Reges legissent libellum, Vintoniensi Cancellario ea lege reddiderunt, ut eundem cunctis audientibus distinctâ voce recitaret: cujus hic tenor erat; *pœnitere se vehementer Schismatis, quòd obedientiam sedi Apostolica denegarint, & quòd Decretis factis adversus illam assenserint: in posterum verò se futuros in ipsius, atque Regum potestate, & facturos omnino quidquid possent, ut ejusmodi leges omnes, atque decreta his comitiis abrogarentur. Majorem igitur in modum orare, ut interveniant, & efficiant, ut censuris absoluti, in quas juxta leges Ecclesiasticas per Schisma inciderant, in Ecclesia gremium tanquam filii pœnitentes recipiantur, ut deinceps in Romana sedis, & summorum Pontificum obedientia servire Deo possint, ad ipsius Domini gloriam, & sue salutis incrementum.*

Perlecto libello iterum Cancellarius ab universo coetu, qui *Gratulatur* regnum totum repræsentabat, petiit, num eam petitionem ratam ha- *Polus Angli-* berent? omnibus affirmantibus, Rex & Regina eam Cardinali Le- *bonum Spi-* gato tradiderunt. Post Regum deprecationem confidens Polus, *ritum.* quid potestatis sibi à summo Pontifice concessum fuerit, recitato diplomate palàm fecit; tum immortales se Deo gratias habere dixit, quòd quemadmodum priscis Ecclesiæ temporibus Anglis hanc gratiam fecisset, ut primi, rejectis gentium erroribus, verum Dei cultum publico consensu amplecterentur, ita nunc iisdem tribuisset, ut cum sese ab Ecclesia sejunxissent, quàm graviter deliquis-

sent, agnoscerent, Nec dubitandum esse, si verè eos atque ex animo pœniteat, quin Angeli summum gaudium ex tot hominum, tamque florentis regni conversione capturi sint, quibus vel unius peccatoris pœnitentem animum summam lætitiã afferre divini verbi Testimonio constet. Hoc dicto, cum Rege & Regina in genua provolutus, Dei numen, atque misericordiam imploravit, precatus, populum suum humiliter prostratum benignè aspiceret, eique contractam culpam ignosceret: tum se Legatum ab Julio summo Pontifice, Christi in terris Vicario, missum contestatus, ut eos absolveret. Nec mora, protensã manu benedixit toti multitudini, simulque eam, ex plenitudine potestatis sibi concessã, in Dei nomine absolvit.

*Cantatur  
Te Deum  
laudamus,  
fiunt festiva  
lætitiã Testi-  
monia.*

His peractis in Regiã sacellum itum est ad decantandum Hymnum Ambrosianum *Te Deum laudamus*. Qua occasione omnis generis festiva lætitiã signa sunt edita. Die secundo Decembris Reges, & Cardinalis Legatus cum omnibus totius Angliã Proceribus ad Templum S. Pauli se contulerunt. Ubi Stephanus Vintoniensis Episcopus, regni Cancellarius consensu celeberrimo totius gentis suggestu, post sacram adhortationem, populo edixit, quanto studio omnes status, universi regni nomine, se submiserint Apostolicã sedis obedientiã; quantãque vicissim pietate ab illustrissimo Legato, vice Sanctissimi Domini nostri sint accepti, & à prioribus peccatis ac censuris absoluti; & ut pro tanta gratia Deo in primis, summo Pontifici, & Regibus pientissimis gratias agerent immortales, hortatus est.

*Romã agun-  
tur solennes  
Deo gratiã  
ob felicem  
nuntium.*

Nec ita multo post amplissima legatio ad Pontificem decreta est, adiutque munus destinatus Eliensis Episcopus, Montisacuti Vicecomes, & Eduardus Carneus I. C. qui Regiã Mariã, & Philippi Regis nomine obedientiam Sedi Romanã præstarent. In Urbe quoque Roma propter lætissimã rei nuntium supplicationes publicã faciã, debitãque Deo grates, Julio ipso Pontifice sacra mysteria celebrante, persolutã; ac Indulgentiã ad modum Jubilã per universum Christianum orbem in gratiarum actionem publicatã sunt. Celebrerrima hæc regni Anglici reconciliatio post vigesimum Schismatis annum incidit in festum S. Andreã; unde Synodico postea decreto constituit Legatus Polus, non ita multo post factus Cantuariensis Archiepiscopus, ut ad tanti beneficii immortalẽ memoriã, festum S. Andreã in perpetuum solemnẽ officio apud Anglos celebraretur; & ut totus Clerus ac populus per universum regnum, in sua quisque Parochiali Ecclesia infra certum tempus, reconciliationis & absolutionis gratiam in genua provoluti humiliter postularent ac susciperent: quod & factum est avidissimè ab universo populo. In hac tamen religionis institutione aliquã graves intervenere difficultates, de quibus nisi Polus se ipsum aliosque insigni prudentia & nonnulla etiam indulgentia expeditisset, non ita promptè in reconciliationem hanc, & pontificiã authoritatis agnitionem consensissent, nec in officio permansissent. Quæ verò ex difficultates fuerint, recenset ordine Oldoinus in vita: mihi ad alia properanti iis immorari non vacat.

Resti-

Restituto ad hunc modum à Cardinale Polo Religionis cultu, quum plebs Anglicana alacri studio ad Sacramentorum frequentationem, ad sanctum Missæ sacrificium, confessionem, Communionem, confirmationem, publicas preces, & conciones concurreret, Legatus ad Cleri quoque, & maximè Academiarum reformationem animum adjecit. In primo paulò indulgentior visus, ut à multis observatum fuit, quòd in Sacerdotes, ac Religiosos uxoratos, non eo, quo leges jubent, rigore animadverterit; sed à prætensis uxoribus tantum separatos, ac beneficiis prioribus privatos, mox ad alia ac majora Sacerdotia admiserit, uxoribus interim clanculum viros suos aduentibus. Sed illud, ut fieret, Presbyterorum magnæ tum penuriæ indultum dicebatur. Ad Academiâs autem in pristinum splendorem & disciplinam restituendas, præter cæteros visitatores Anglos misit etiam Nicolaum Ormanetum, Patavinum postea Episcopum, virum gravem, prudentem, doctum, & zelo domini Dei in primis præditum. Hic Oxoniæ, & Cantabrigiæ Collegia omnia ad normam prioris à fundatoribus institutæ gubernationis, quantum fieri potuit, reduxit; hæreticos, aut hæresis suspectos abegit, Catholicosque tum Professores, tum Administratores ubique constituendos curavit. Id verò summum fuit Regum, & Legati Poli in Universitatem Oxoniensem beneficium, quod Petrum à Soto Ordinis S. Dominici excellentissimum Theologum in Angliam accersitum, illic Professore publicum constituit, ut à Petro Martyre (apostasiâ, & sacrilegis seductæ monialis nuptiis infami) omnia paulo antè diruta & pessumdata, reedificaret ac refarciret. Id quod egregiè summo reipublicæ bono præstitit.

Eodem tempore idem Legatus Polus juxta decreta Synodi universalis, quam antè coegerat, Religionis restituendæ, ac reformandæ formulam, à summo Pontifice prius visam & approbatam publicavit, atque ab omnibus Ordinibus servari jussit; studuitque præsertim emendationi deformati Cleri, quòd inde malum omne tanquam è fonte derivari sciret. Sed nimium Clericorum luxum, libidinem, ac mensarum immoderatas expensas, quibus DEUS in primis offenditur, & pauperes suo patrimonio defraudantur, vix cohibere, aut ambitioni, ac cupiditati congerendorum Sacerdotiorum (quam Polignamiam spiritualem vocant) modum ponere illum potuisse, scribit illustris fidei Confessor, idemque nobilis rerum Anglicarum Scriptor Nicolaus Sanderus; indèque auguratos homines aliquot verè pios, & secundum DEUM prudentes, iterum à Domino gravioribus quàm antè flagellis Angliam esse vapulaturam, quod planè mox ut Maria Regina, & Polus oculos clausere, irreparabili animarum detrimento contigit, regnante & in Ecclesiam Catholicam furente Elisabethâ, Henrici quondam VIII. ex pellice Bolena, filiâ.

Anno redemptionis humanæ 1555. favente Maria Regina, Polus summa totius Angliæ lætitiâ & consensu Archiepiscopus Cantuariensis electus est. Is, antequam in Episcopum inauguraretur, Sacerdotio initiatus, rem sacram privatam coram Regina consobrino sua primùm celebravit; quo facto ad eum denique potentia

*Poli industria in stabilenda Religione.*

*Polygamia spiritualis rursus Anglicam hæreticam secisset, autem idonei auctores.*

*Eligitur Polus Archiepiscopus Cantuariensis.*

& auctoritatis gradum in Anglia pervenit; ut simul fuerit Angliæ Primas, sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus, ac etiam totius regni absente Rege, conjunctim cum ipsa Regina summus Procurator, & Regens.

Revocatur à  
Legatione  
Anglica Ro-  
manæ Polus.

Mortuo autem X. Kalend. Aprilis 1555. Julio III. qui Cardinalem Polum, cujus virtutes optimè perspectas habebat, unicè amabat; successit in Apostolica Sede Joannes Petrus Caraffa, Cardinalis Theatinus dictus, sub nomine Pauli IV. non autem in amore & propensione erga ipsum Polum, quamvis ei Cantuariensis Archiepiscopatus possessionem confirmavit, palliūque concesserit. Hic magna omnium admiratione, ne dicam indignatione, Polum à legatione Anglica, Romam revocavit; subrogato ei in eodem legationis munere Guillelmo Peytoo Cardinale, Ordinis Minorum, nobili Anglo, quem & Episcopum Sarisburiensem, ad majorem auctoritatem ei conciliandam, designavit, qui tamen mortè præventus, antequam Angliam intraret, hos sibi oblatos honores inire non potuit, quos nec nisi coactus, ob reverentiam Poli (quem summa observantia, ut par erat, prosequeretur) susceperat. Cur autem hæc in Polum Paulus Pontifex statuisset, nonnullos reperimus hanc causam assignasse, quòd, cum Legatus esset Apostolicus, Pontifice inconsulto inducias inter duos Reges Galliarum & Hispaniarum conciliasset. Sed cum mandatum à Julio accepisset de pace, aut induciis tractandis, quis ei jure succensuisse potuit, si, quod cuivis Christiano competere videtur, vir pius nulla de eo prohibitione accepta præstitit? Alii contrà, quòd Mariam Angliæ Reginam pro ea, qua apud illam valebat gratia & auctoritate, à bello Galliarum Regi denunciando non inhibuisset. At nullam inhibendi rationem habuit Polus, quando Rex ipse Galliarum, nulla laceffitus injuria, spretis in ita pridem pacis conditionibus, Mariæ ultrò insultavit. Additur & tertia ratio, seu potius infirma & futulis conjectura; quòd in Conclavi Polus, ne Paulus in Pontificem assumeretur, obstitisset: cum tamen longè certius sit (teste Oldoino cum aliis) Paulum olim obstitisse, ne Polus post obitum Pauli III. in Pontificem eligeretur. Ut ut sit, non parum hoc Pauli existimationi apud illos, qui Poli virtutem noverant, offecit; quorum aliqui futere, qui potius Paulum odio & affectui, aut, ut molliùs dicam, innata austeritati suæ indulgisse credere maluerit, quàm Polum justè alicujus criminis, quòd depositionem mereretur, reum constitutum esse. Sunt, qui scribant, Polum ut hæresi suspectum, legatione Apostolica excidisse. At quis vti reum damnabit virum illum, qui columnam fidei, religionisque Catholicæ clypeum non in Anglia solum, sed etiam ubique terrarum se præstitit? quis, inquam, de gravi aliquo delicto reum suspicetur, qui fuit in omni vitæ cursu tantoperè irreprehensibilis, ut factus sit sæpenumerò Julius III. Pont. Max. cum sibi contingeret eo præsentem aliquid dicere, solito cautius locutum, ne aliquod verbum ex ejus ore efflueret, quòd non esset ad trutinam rationis libratum, & summo Sacerdote dignum? Carolus etiam V. Cæsar nunquam Romanæ Curie meminerat, aut de ea sermonem habebat, quin Poli Cardinalis pietatem, vir-

tutem, & fidem in cœlum usque efferret; eumque sacri Senatus *Decus, lumen, & animam* prædicaret. Sed de his fufius, qui innumera & vera ejus elogia congestere.

Quæ autem qualisque fuisset Pauli Pontificis Polum à legatione Anglica revocandi vel voluntas, vel ratio; primùm diligenter providit Regina, ut illum lateret; ne, Polo Romam repetente, illa tam utili consiliario, & Ecclesia Catholica tam fideli ministro privare- *Regina Mariae Zelus pro Polo.* tur. Quamobrem non permisit novo illi Legato regnum ingredi, quin imò literas quorumcunque, quos suspicaretur mandata de hære à Pontifice afferre, intercipi curavit, atque apud se retinuit. Insuper Oratori suo Romæ agenti mandavit, ut Papam admoneret, quantum periculum Religioni vix dum in Anglia stabilitæ creaturus esset, si tanto ac tali viro ejusmodi contumeliam inferret, cujus auctoritas & vitæ innocentia ad gentis conversionem maximum pondus attulisset. Verùm dum Regina clam agit apud Pontificem de retinendo in statione Polo, ipse rem nescio unde subodoratus, non modò nihil inde se commotum ostendit; verùm etiam ut se genuinum Ecclesiæ filium, & Pontifici perfectè obsequentem præstaret, Crucem argenteam legationis insigne ultrò deposuit, omnique illius munere abstinuit. Tum misso Romam Nicolao Ormaneto legationis Datario, viro gravi ac prudente, legationis à se administratæ rationem reddidit. Non enim ut ipse iret, passa est Regina, ne tanto ac tam necessario solatio careret, nève Anglicana Ecclesia in fide neophyta, tam strenuo duce, & perito nauta destituta ad scopulos allideret, naufragiùmque faceret.

Polum autem Ormaneti opera restitutum plurimi tradunt; alii Paulum Papam, nulla ratione motum, obstinatè in sententia sua perseverasse, quod Poli nostri virtuti nihil officit, imò verò multum proficit, cujus exercendæ occasionem cum scœnore subministravit, dum intempèstivè loco motus, de mandato rigidi Pontificis ne minimum quidem querimonix verbum protulit. Sicque Polus jam cœlo maturus, etsi non annis, at certè ad versis casibus, itinerum molestiis, aliisque laboribus pro fide Catholica propaganda exantlatis fractus nihil ampliùs nisi de futura vita capeffenda dies noctesque cogitavit. Unde cum quidam de nobili palatio, quod Romæ imperfectum habebat, cum eo in colloquium venisset, pluresque vitæ annos ipsi sponddisset, quibus reverti Romam, ædesque illas intueri perfectas liceret; subintulit. *Non estimo te mihi adeò inimicum, ut tam d. ut urnum exoptes supplicium ac exilium à cœlo, quod sola nostra ac vera patria est.* Et quidem benignissimus DEUS pia fidelis servi sui Poli vota exaudivit.

Anno namque Christi Salvatoris 1558. ætatis verò suæ 58. die 25. Novembris quartana febre correptus (quæ plurimùm eo anno grassata, multos è Sacerdotali potissimùm Ordine sustulit) *Ejus mors.* atque ad extremam corporis maciem redactus, accedente in super acerbo mortis Mariæ Regiæ nuncio (quo quasi telo mortifero confixus est) horis ab ipsa circiter sexdecim placidissimè expiravit Lamberchi prope Londinum. Visus est planè Deus Britannix iratus; nam uno hoc viro sublato, qui ei adversus exitialia dogmata loco

scuti erat, ipsa iterum ab avita religione devians & deficiens, in ejuratam paulò antè hæresim urgente Elisabetha, quasi ad vomitum relapsa est. Corpus defuncti Cardinalis per plures dies pro more Principum in lecto funerali compositum, omnibus ad mœrorem exhibitum est; tum plumbeæ capsæ inclusum, Cantuariamque delatum in Sacello D. Thomæ quondam Cantuariensis Archiepiscopi (cujus fuerat non minùs zeli, virtutisque successor, quàm Cathedræ) tumulatum est, hoc tantùm brevi ac nudo adscripto titulo epitaphii vice: *Depositum Cardinalis Poli*. Quo quantum à sæculi fastu vir Deo transcriptus abhorruerit, satis declaravit.

*Ejus imago.*

Fuit Reginaldus Polus statura mediocri, corpore tereti atque exili, colore candido, sed ingenuo rubore permixto, ut ferè sunt Angli; vultu latiori, oculis cæruleis, aspectu hilari lætoque, animi tranquillitatem vel inter adversa, quibus nunquam caruit, indicante; barba juveni fuit colore flava, seniori subalba; moribus prætereà compositis & innocentissimis, alloquio suavis, incessuque gravis & per omnia modestus.

Ejus autem ingenii monumenta adhuc supersunt plurima, quorum indicem texuit Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Reginaldus*, ubi vocatur *sanguine, doctrina, & pietate nobilissimus*: Plurima tamen hæreticorum fraude suppressa interciderunt: Quæ verò extant, hæc sunt:

*Ejus scripta.*

Pro Ecclesiasticæ Unitatis Defensione libri quinque ad Henricum & Eduardum Angliæ Reges.

De officio summi Pontificis liber unus.

De Potestate ejusdem liber unus.

Exhortatio habita in Concilio Tridentino.

De eodem Concilio liber unus.

De Baptismo Constantini Magni.

De Angliæ Reformatione.

De reformanda Ecclesia consilium.

Exhortatio ad Carolum V. & Franciscum I. Gallia Regem pro pace.

De Justificatione libros duos patrio idiomate.

Epistolarum volumen ad varios scriptarum.

Edidit etiam adolescens Christophori Longolii vitam.

Transtulit pariter ex Hæbraica lingua in Latinam Lamentationes Hieremiæ Prophetæ.

*Elogia virorum clarissimorum de Polo.*

Non siluerunt ab ejus laudibus prædicandis viri quique nominatissimi, quorum princeps est Thomas Morus Angliæ Cancellarius, idémque Christi Martyr invictissimus, qui in epistola ad Margaritam filiam, Reginaldum Polum appellat *Juvenem ut sanguinis excellentia nobilissimum, ita in omni literarum genere doctissimum; nec virtute minùs, quàm eruditione conspicuum*. Et in alia epistola ad ipsum Reginaldum Polum, & Joannem Clementem, de Margaritha Sarisburia Comitissa, Poli matre loquens, *feminarum optimam, piensissimam, atque nobilissimam, planèque tali filio dignam* nominat; quibus paucissimis verbis multa simul matris, ac filii encomia complectitur. Thomas quoque Stapletonus in vita ejusdem Thomæ Mori

*Polum*

*Polum nobilissimi fidei confessoris & Ecclesie defensoris titulo exornat. Joannes Casa in vita Petri Cardinalis Bembi, Reginaldum virum de caelo lapsum, ejusque virtutem divinam, de qua nemo unquam satis loquetur scribere non dubitavit; quin & addit; nescire se dijudicare, plusne Britannia multis vulneribus reipublicae Christianae inflictis nocuisset; an tali, tantoque viro exhibito, ex quo verae, planaeque Christianae pietatis ac vitae exemplum peti possit, profuisset? Pierius Valerianus, qui ei tanquam literatorum Mœcenati librum 53. Hieroglyphicorum inscripsit, illum pietate integerrimum; vite moderatione conspicuum; divinarum rerum, & sacrarum literarum studio fervidum; omniumque virtutum exemplar absolutissimum dixit. Nicolaus vero Sanderus paucis multa complectens, Eum Angliae Spem, Ecclesiae Romanae decus, Purpuratorum solem, Orbis Christiani lumen, & literatorum Ornamentum nuncupat. A Joanne autem Pitæo in libro de claris Angliae Scriptoribus dicitur, Vir pietate, prudentia, doctrina, omnique virtutis genere, aequè ac regio sanguine Princeps clarus. Et alibi ab eodem; Vir vitae puritate integerrimus, moribus gravis & modestus, in vita temperans, omnibus affabilis, ingenii per excessum erga omnes mitissimi, sacrarum & profanarum literarum scientia nobiliter instructus, divina gloria zelo fervidus, & qui multa pro fidei Catholicae defensione fecit ac pertulit. A Francisco Sacchino in Historia Societatis JESU; Unicum adversus exitialia dogmata subsidium, Britannis à Deo submissum. Ab Andrea Viçtorello in notis ad Ciaconium; Polus regij sanguinis sublimitate, ingenii & judicii praestantia, morum suavitate, innocentia, eruditione, defensionis religionis merito spectatissimus. A Spondano & Bzovio in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1557. Vir moribus integerrimus, fidei Catholicae defensor ferventissimus, ejusdemque in Anglia restaurator clarissimus.*

Sunt autem & alii plurimi non inferioris notae ac dignitatis Auctores (quorum congeſta Testimonia Augustinus Oldoinus in vita ipsius Poli fusiùs exhibet) qui se in praestantissimi hujus Cardinalis & Principis laudibus copiosius exercuerunt, eundemque aeternitatis balsamo dignissimum existimaverunt, non dissentientibus ipsis fidei nostrae hostibus Anglis, qui tanti viri decora suis Scriptis celebranda susceperunt, & non parcè extulerunt; ut fidem faciunt Paulus Manutius Aldi filius, Oldoinus, Saussayus, Morerius, & alii.

*Ab ipsis quaeque heterodoxis laudatus Polus.*

*De eo agunt Ludovicus Becatellus Archiep. Ragusinus in vita. Joannes Antonius Petramellarius. Antonius Sanderus in elog. Cardin. Andreas Thevetus de viris illust. Joannes Imperialis in Museo Historico. Papirius Massonus de Epif. Urbis. Laurentius Surius in Historia rerum memorabilium sui temporis. Nicolaus Sanderus in Schism. Anglic. & de Visibili Monarchia. Andreas Duchesnius in hist. Anglic. Nicolaus Orlandinus, & Franciscus Sacchinus in hist. Soc. JESU, Morerius in Dict. hist. & innumeri alii.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## JOANNE ALVAREZ S. R. E. CARDINALE.

**L.** *Stirpis nobilissimæ fuit.* **J**OANNES Alvarez, natione Hispanus, Friderici Alvarez Albæ Ducis ex Isabella Pimentella nobilissima juxta ac religiosissima foemina filius, primam lucem aspexit Toleti 5. Idus Junii anno post Christum natum 1488. Is cum adolefceret, celeberrimæ familiæ Toletanæ Ordinis Prædicatorum, rejectis nuptiis, nomen dedit. Ubi in primis vitæ morumque probitate, ac literis politioribus excultus, Philosophiæ & Theologiæ eam navavit operam, ut *Doctissimus.* non modò utramque hanc facultatem magno cum plausu inter suos aliquamdiu docuerit; sed etiam famâ singularis ejus doctrinæ ac pietatis ad Carolum V. perlatâ vir magnus in Ecclesia Dei, ut mox dicemus, evaserit.

*Humillimus.* Humilitati mirè addictus, sæpè sordidis culinæ ministeriis exercebatur, maximè cum adeuntem ad se patrem Albæ Ducem eadem in veste, qua coquo ministrabat, constans animi ac frontis excepit, meruitque laudari, ut qui ferio & exactè Religiosum ageret. Quare cum vitæ exemplo atque doctrinâ, præter ipsam nobilissimæ familiæ claritatem commendaretur, Cordubensis primò Episcopus, deinde Burgenfis, demum ad preces Caroli Cæsaris Presbyter Cardinalis Titulo S. Mariæ in Porticu à Paulo III. renunciatus est. Anno Domini 1553. Episcopus Albanensis creatus præfuit Ecclesiæ Albanensi per biennium; tum ad Tusculanam insulam promotus, retinuit eam usque ad obitum. Rexit pariter in Hispania Archiepiscopus Ecclesiam Compostellanam; unde Cardinalis postea Compostellani, cum Burgenfis antea diceretur, nomen est consecutus.

*Fit Cardinalis.* Orto sub annum 1556. inter Paulum IV. Pontificem, & Philippum II. Hispaniarum Regem gravissimo bello, Albanum Ducem, summum Hispanici exercitus Imperatorem; consobrinum suum Joannes Cardinalis, ne infesta Urbi signa inferret; brevissimis literis obtinuit, monens, non benè inter Turcarum & Mauro-rum vexilla, quibus Albæ Templum olim à Majoribus fuisset exornatum, Romani Pontificis veluti victâ de religione trophæa ad memoriam posteritatis posse suspendi. Avertit virilis hæc vox imminentem Urbi cladem: tanti est nosse, qua quisque maximè ratione ducatur, ut persuadeas.

*Per literas suas Urbis cladē avertit.* Joannes dum Episcopus Cordubensi Ecclesiæ præsideret, motus pietate in Superos, celeberrimum sanctorum Martyrum Cœnobium à fundamentis construxit, quod multis facultatibus, annuisque redditibus dotatum, viris religiosi sui Ordinis dono concessit. Jam Cardinalis creatus Templum Salmanticense S. Stephano sacrū, & proximum

num Cœnobium, in quo vestem S. Dominici ipse puer induerat, propriis sumptibus restauravit; ad ædificium in Dei honorem erigendum quinquaginta florenorum millia, larga manu suppeditavit. Huic Joanni Episcopo, cum vir doctissimus esset, Dominicus à Soto Ordinis Dominicani Theologus nominatissimus Librum inscriptum *De ratione regendi, ac detegendi*, dicavit. Interfuit Comitibus pontificiis, in quibus renunciati sunt Romani Pontifices Julius III. Marcellus II. *Moritur.* & Paulus IV. sub quorum ultimo decessit è vita Romæ die 15. Septembris Anno Christi 1557. ætatis 69. ex iliorum doloribus. Corpus demortui in S. Mariæ super Minervam depositum, postea in Hispanias translatum, Albæ in sepulchrum Majorum suorum illatum est. Cujus memoriam Janus Vitalis his versibus celebravit.

*Te licet immoticiis natalibus Hesperus Orbis*

*Et dederit claris nobilem imaginibus;*

*Et prisca ostendet quasita ab origine gentis*

*Raptæque victrici barbara signa manu:*

*Ille quidem illustrem possunt Te clara Joannes*

*Ornare, & Patribus connumerare tuis.*

*Tu tamen in te ipso tanto es præstantior illis,*

*Et majestatem gentis, is ante tue.*

*Ut tua tanta domus de te sibi lumina quarat,*

*Splendorémque tua sedula lucis amet.*

*Cætera cum dederit tibi fors invidta parentum;*

*Hæc venit à genio gloria viva tuo.*

Elogium su-  
nebre.

Joannes dum inter sacri Ordinis Prædicatorum Religiosos viros vivere, à superioribus ad aliam civitatem missus, iter illud sat longum non nisi pedibus, pauperum Religiosorum more, conficere voluit: itineris lassitudine fatigatus defecisset procul dubio in via, nisi agrestis quædam mulier misericordiâ mota, lassum juvenem ad proximum tuguriolum invitasset, in quo prostratas prorsus vires non tam cibo, quàm quiete refecit; asinoque vulgari ab ipsa muliere commutato vectus, reliquum itineris deinde facile confecit. Ut primum dignitate Episcopali excelluit, beneficii haud immemor, mulierem summo studio perquisivit, at cum jam mortuam intellexit, filiam ejus unicam honesto matrimonio suâ operâ locatam, annuis redditibus etiam in posteros utriusque sexûs valituris remuneravit. Voluit enim vir pius per sæcula futura non solum majorum suorum præclare gestis, sed suis etiam præclari animi monumentis vivere; ambiguo apud omnem posteritatem judicio, quænam gloriosior sit, majorumne, an Joannis Cardinalis memoria?

Scripsit vir eruditus, De regimine hominis Christiani,

Sermones de Sanctis,

Speculum Virtutis.

Epistolas varias.

Ejus scripta.

Agunt de eo Joannes Antonius Petramellarius in elog. Chronicon Dominicanorum. Ferdinandus de Castiglione in Concert. Prædicat. Joannes Rho in exemplis Virtutum. Victorius in addit. ad Ciac. Felix Contelorius in Elencho Cardin. Panyinius de Rom. Pontif. Aubery in vita. & alii.

ANNO 1534.

SEDEnte PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## ROBERTO LENONCOURTIO

### S. R. E. CARDINALE.

LI.  
Lenoncour-  
tius quis?

Fit Cardi-  
nalis.

Episcopus  
Metensis.

Moritur.

Error Petra-  
mellarii cir-  
ca hunc Car-  
dinalem.

Enconia Il-  
lius.

**R**OBERTUS Lenoncourtius, Gallus, nobili profapia de Lenoncourt patre Theodorico genitus, ex Priore Charitatis D. Mariæ ad Ligerim, Abbas primò Barbellæ, seu Sacri-portûs; deinde Episcopus Catalaunensis; demum ad preces Regis Galliarum, (cujus erat Orator apud Carolum V. Imp. pro Ducatu Geldriæ) ob insignem prudentiam, pietatem, & eruditionem absens purpurâ ornatur à Paulo III. summo Pontifice; ac titulo S. Anastasiæ primùm, deinde S. Apollinaris, demum S. Cæciliæ insignitur. Rexit deinde Episcopus Ecclesiam Metensem; ac Archiepiscopus Ebrodunensem, & Tolosanam in Gallia. In Metensi, anno salutis 1552. mense Januario diem indixit omnibus ad generalia Comitata celebranda. Hoc Præfule favente, Galli stragemate usi Urbe Metensi eodem anno potiuntur.

Metensem Ecclesiam à Julio III. moderandam acceptam, tam modestè, tam benignè, prudentèrque rexit, ut ex suavi administratione *Boni Roberti* nomen sit consecutus; & de ipso Metenses rectè tanquam de viro integerrimo, ac maximè pio Præfule usque nunc & sentiant, & colloquantur. Sepulchrum D. Remigii in cœnobio Rhemenfi eâ formâ, eo lapide, eâque pulchritudine extruxit, ut omnibus vel hodie dum sit admirationi; in quo, summo oculorum oblectamento, videre est duodecim Franciæ Pares, tum Ecclesiasticos, tum sæculares; tum Duces, tum Comites affabrè elaboratos.

Robertus sanctis operibus & eruditione insignis, postquam quatuor summorum Pontificum creationibus suo suffragio interfuisset, febris correptus acuta ad superos evolavit Metis in Gallia Quarto Nonas Februarii anno æræ Christianæ 1561. sepultus ibidem in sacello Cathedralis Ecclesiæ à se constructo & dotato: Alii dicunt, eum in Prioratu Charitatis fuisse sepultum, ejusque cineres anno sequenti ab Hæreticis erutos ac dispersos.

Cæterùm malè eum Petramellarius inter Bellovacenses Episcopos recenset, cùm in tabulis ejusdem Ecclesiæ exactissimis non numeretur illius Antistes: illum tamen commendat hisce verbis, relatu si vera sint, non indignis: *Robertus Lucemburgensis de Lenoncourt Gallus, nobilissimo natus sanguine, vir literarum cognitione, morum gravitate, vitæque sanctimonia insignis, ex Priore, quem vocant Charitatis, Episcopus Catalaunensis electus est. Non dicam innumeras ejus virtutes, patientiam, humanitatem, gravitatem, animi moderationem, & cæteras doctes, quas in bono Episcopo Doctor ille gentium requirit; ut jure merito Job patientia; humanitate Agidium Abbatem; gravitate Agapitum Pontificem;*

cem; ac postremo præ cæteris animi moderatione, atque doctrina Augustinum, Basilium, Hieronymum adæquasse communi omnium confessione diceretur. Magnum profecto elogium, si dicta veritati consentiant. At ut Robertus vir insignis, doctus, pius & sanctus fuerit, æquasse tamen illum incomparabiles viros à Petramellario allatos non facile crediderim. Unde non immeritò Morerius de Roberto agens, ejusque elogium à Petramellario concinnatum expendens, *excessivum* illud atque *immodicum*, uti re vera videtur, appellavit. Janus Vitalis licet in eo extollendo nec ipse parcus fuerit, moderatiùs tamen, tolerabiliùsque cecinisse videtur.

*Numam videre si quis optat alterum,  
Et alterum si Romulum;  
En Purpuratus hic Robertus nobilis  
Ille ille Lenoncourtius,  
Spirans vigorem mentis, & prudentiam,  
Priscamque fortitudinem.  
Vides disertis finxit, ut coloribus  
Illum disertus Artifex?  
Naturam & arti, artemque natura obsequi  
Ut imperavit invicem?  
Dices in illo subsilire Spiritum,  
Et palpitare musculos.  
Congessit huc natura fecundissimas  
Dotes superba Gallia,  
Locumque in unum Sanctitatis Symbolum,  
Et gratiarum lumina.  
Quid si videres pectoris reconditas,  
Et mentis elegantias,  
Non est imago vera Lenoncourtii,  
Hæc, quam videmus, diceres.*

Scriptisse dicitur egergium Tractatum de triplici bono, Naturæ, Fortunæ, & Gratiæ: *Qui an extet excusus, exploratum non habeo.* *Ejus scripta.*

*Eum laudant Claudius Robertus in Gall. Christiana. Petrus Frizonius in Gall. Purpur. Felix Contelorius in Elencho Cardinal. Joannes Chénu de Epif. Gall. Aubery in vita. Panyinius de Rom. Pontif. Ughellius in Ital. sacra. Morerius in Dict. Hist. & alii.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## DAVIDE BETONIO

### S. R. E. CARDINALE.

LII. *Regia stirpis propinquus.* **D**AVID Betonius, natione Scotus, sanguinis & cognationis sublimitate ipsis Scotiæ Regibus, ut scribit Garimbertus, propinquus, Baronis de Balfurno filius. David tum propria indole ad virtutem pronus; tum nobilissimorum parentum curâ ad bonas artes, literasque formatus, earum rudimenta brevi temporis spatio sic perdidicit, ut egregia futuræ eruditionis, qua deinde polluit, vel adolescens specimina ediderit. Anno ætatis sexto decimo majorum suorum suafu atque consilio Parisios ad Florentissimam illam disciplinarum omnium Academiam delatus, mirum dictu, quantum progressu temporis, accedente ad naturæ bonitatem optimorum præceptorum institutione, proventum reportarit in patriam? adeo ut in illam regressus Duci Albanix bellica fortitudine clarissimo (qui apud Jacobum V. Scotiæ Regem plurimum gratia & auctoritate valebat) ob eximias ingenii, naturæ, ac doctrinæ dotes charissimus evaserit; qui cum de illo coram Rege, ac regni Proceribus multa prædicasset, admissus deinde ad ipsius Regis præsentiam & alloquium, iisdem artibus ac dotibus, quibus sese prius in Albanensis gratiam insinuarat, ejusdem quoque Regis benevolentiam sibi comparavit. Nam & forma corporis præstanti, & judicio supra ætatem maturo, & comitate in omnes admirabili, non modo aulicorum in se omnium provocavit affectum, sed & Regis ipsius amorem specialissimum, qui eum nullâ morâ intra regios Consiliarios cooptatum, sensim publicis muneribus maxima regni utilitate præficiendum curavit.

*Abbatiam accipit à Patre.* Placuit id mirum in modum Jacobo Betonio Glascoensi Archiepiscopo patruo, Davidem fratris filium iis virtutum ac literarum ornamentis, Regi cum primis totique ejus Curix innotuisse: Quare Abbatiam magni census ac dignitatis, quam tunc possidebat, ultrò annuente Rege, in Davidem nepotem transfudit. Quam quidem tanta prudentia, comitate, atque integritate annis pluribus ita moderatus est, ut, teste Archibaldo Hayo in Panegyrico ea de re habito, & patris ipsius, & Regis, omniumque conceptæ de ipso exspectationi cumulatissimè satisfecerit.

*Orator in Galliam mittitur.* Anno salutis 1534. à Jacobo Scotiæ Rege Orator in Galliam missus, negotia suæ fidei commissâ ex Regis utriusque sententia adeo dexterè feliciterque confecit, ut concertantibus inter se de eo remunerando Regibus, hinc à Francisco I. Episcopatu Mirapicensi in Oxitania; illinc à Jacobo V. Metropolitana sede Sanctandrea-na in Scotia (cui Primatus Ecclesiarum totius Scotiæ annexus est) donatus; ac insuper purpurâ sacrâ, utroque Rege intercedente, à

Pau-

*Purpurâ ornatur.*

Paulo III. summo Pontifice ornatus fuerit. Accepit autem pileum Cardinalitæ dignitatis cum titulo Presbyterali S. Stephani in Coelio monte, à Pontifice sibi missum, Latini Juvenalis ipsius Papæ intimi Cubicularii viri eruditissimi ministerio in Scotia anno à partu Virginis 1538. quadriennio post legationem in Gallia obitam.

Observant Andreas Victorellus, & Antonius Auberius, Jacobi Scotiæ Regem ( qui zelo propagandæ fidei Catholicæ non mediocriter enituit, magnamque ex eo nomine à suis Scripto-  
 ribus laudem tulit ( cum animadvertisset Joannem Fischerum Cardinalem, Thomam Morum Angliæ Cancellarium, aliosque fortissimos Christianæ Religionis athletas, Henrici VIII. in transversum acti sævitâ necatos, & quasi extincta in miserando illo regno fidei Catholicæ lumina; sancto ac prudenti consilio suggestisse Paulo Papæ III. ut Davidi Betonio Præfuli Sanctandreamo Romanæ purpuræ decus, dignitatemque decerneret, ne sancta Christi religio, externis hisce signis & ornamentis in Britannia carens atque languescens, penitus interiret: Quod consilium probavit, laudavitque Cardinalis Sadoletus apud Paulum his verbis: *De scoto illo promovendo* (intellige Betonium) *vehementer probavi consilium tuum, Beatissime Pater, perspexi enim penitus cum altitudinem animi tui, tum vim singularis prudentia tua, per quam pati non vis impium Regem Henricum vacantem domesticis finitimisque periculis suspicionibus, impunè ac licenter in depopulanda DEI Ecclesia debacchari. Quod consilium simul & factum Sanctitatis tue DEUM immortalem fortunaturum esse non dubito, idque ut eveniat, DEUM eundem enixè precor.*

Jacobi Scotiæ Regis  
Zelus fidei  
Catholicæ.

Contraxerat Jacobus Rex Scotiæ post obitum Magdalenzæ Francisci. Regis Galliarum filiz, matrimonium cum Maria Guiffiana Longovillani Ducis vidua; & Lutheranismi suspectos plures publicâ sententia igni tradiderat, aliosque eadem infaniâ infectos exilio multaverat. Jacobo Regi manifestè ob id offensus erat Henricus VIII. Angliæ Rex: pupugerat quoque Angli animum adversus Scotum, quod ad congressum cum eo Eboracum venire detrectasset; unde & ejus regnum invadere cogitavit faventibus ei universis Lutherani dogmatis toxico imbutis, & aliis, qui rebus novis in Scotia excitandis studebant; quorum nonnulli in Angliam ad ipsum Henricum tanquam impietatis asyllum confugerant, Cardinale Betonio interim Regi suo adstante pro muro & aggere adversus omnes factiosorum impetus. Post primas pugnas ultrò citròque initas, in quibus victores initio fuere Scoti, tandem Anglus prævaluit. Quapropter ex dolore acceptæ cladis Jacobus Rex in morbum incidit, è quo intra paucos dies sub annum 1542. mortuus est, relicta unica prole Maria Stuarta, octavo antè die nata: Cujus gloriosa acta, & Martyrium pro Deo & fide perpessæ infra narraturi sumus.

Betonio  
Regi Scotiæ  
Jacobus, pro  
muro est  
contra factiosos.

Jacobus Hamiltonius Araniæ Comes, Regis defuncti propinquus, regni Gubernator, Reginæque infantulæ tutor à regni Principibus est declaratus, reclamante Davide Cardinale Betonio, quod is ex testamento defuncti Regis delatum sibi tribus assessoribus è numero primorum Procerum adjunctis, summum Magistratum

tum

tum, ac regni procurationem contenderet. Henricus verò Anglus in spem obtinendæ Scotiæ erectus, non jam aperto Marte eam aggredi decrevit, sed viâ matrimonii, qua Mariam reginam puellam filio suo Eduardo quinquenni despondere petiit, Legatósque eo fine ad Hamiltonium misit, quibus auditis ad 3. Kalendas Maij anni 1543. Nobilibus regni convocatis indixit comitia, quibus postulata Regis Anglorum proposita examinarentur. Sed qui à partibus illius stabant, non dubitantes, Cardinalem Betonium, qui Pontifici, & Gallis erat addictissimus, per amicos & clientes, quos habebat plurimos, totis viribus impediturum, ne, quod petebat Henricus, assequeretur; néve Scotia in Principis Catholicæ fidei desertoris, atque hostis truculentissimi potestatem veniret, domi repente comprehensum in Castrum Dalketum, indéque in suam Sanctandreamam arcem conjiciunt. Quo tempore violatâ Ecclesiæ immunitate in persona sui Præfulis, à sacris, divinisque officiis in universa Sanctandreama Diœcesi cessatum est: Et Paulus Romanus Pontifex pro ejus liberatione Marcum Patriarcham Aquilëiensem delegavit in Scotiam.

*Traditur in  
custodiam,  
ob fidem Ca-  
tholicam.*

*In Scotia  
inclinat res  
fidei Catho-  
licæ ad oc-  
casum.*

Prorex autem, seu Gubernator Hamiltonius (quem depingit Buchananus, ingenio fuisse ad quietem prono, atque à turbis alieno) modò Reginæ, ac Gallis, & Pontificiis; modò Anglis Scotiæ perturbatoribus, ac in regno, & religione nova molientibus adhærens, quendam Ordinis religiosissimi apostatam Guillelmum nomine, ab exulibus, qui nuper ex Anglia redierant, subintroductum, impunè permisit Diplomata summi Pontificis, librosque Catholicis dogmatibus refertos palàm pro concione lacerare, quin & sua auctoritate indulgit, ut liceret cuique pro libitu Biblia sacra vulgato idiomate legere, interpretari, precésque ac ritum orandi, quem vellet, tenere. Ex quibus infausis signis, ac prænotionibus primùm cœpisse visam, scribit Joannes Leslæus Roffensis Episcopus, veræ & avitæ religionis in Scotia professionem in occasum inclinare; præcipuè cum Henrico Angliæ Regi à Scotici regni Ordinibus concessum fuisset filii sui Eduardi cum Maria regni hærede conjugium, induciæque ob id ad decennium pactæ; statimque Cardinalis Betonius è carcere eductus libertati restitutus est. Quo tamen agente (nam nulla ei unquam cum hæreticis aut quies aut societas erat) Scoti Mariam Reginam suam in Anglia educandam, Eduardoque conjungendam tradere abnuerunt. Unde postmodum rupto fœdere, bellum in eos offensus Henricus acriter atque antea redintegravit.

*Animi he-  
roica Con-  
stantia pro  
orthodoxa  
fide in Car-  
dinali Beto-  
nio,*

At neque ob id, neque ob Regis Angli minas, aut carceris, quæ perpeffus est, incommoda, animi cecidit invictissimus Cardinalis, quin potius se erigens contra omnes hæreticorum in illius caput conjuratorum machinas atque insultus, Marino Cardinali Patriarchæ Aquilëiensi Sedis Apostolicæ Legato è Scotia discedenti in officio subrogatus, sub initium mensis Martii 1543. omnes Scotiæ Præfules quasi indicto concilio cœgit ad consultandum, quânam ratione, quove remedio hæresis sui, quæ universam penè Scotiam ex Angliæ proximæ contagio jam penetraverat, occurri posset?

Soluto Concilio Georgium quendam Vuschartum, seu (ut Buchananus habet) Sephocardium, præcipuum Lutheranae sectæ ministrum & concionatorem virulentissimum, apertæ hæresis convictum, ac damnatum, nec resipiscere volentem, publicè comburi iussit. Quæ res mirum in modum exulceratos jam antè Novatorum animos in Cardinalem concitavit: etenim nonnulli Sephocardii exemplo sibi metuentes; alii quorundam è Scotia primoribus auctoritati Cardinalis invidentium consilio & suafu incitati, authore Normanno Leslio Comitum Rothusæ filio in vitam Cardinalis conspirarunt.

Is igitur Lutheri hæresi imbutus, & privatis odiis Davidi infensus, ac vindictam spirans, quinque tantum comitibus Andree fanum ingressus, in consuetum diverforium se recepit, ut ea paucitate meditatae cædis consilium dissimularetur. Erant præterea in oppido Sanctandream decem ex conjurationis conscii, qui alii alio in loco rei aggrediendæ signum expectabant. Cum exigua hac manu tantum facinus obire esset ausus Normannus in oppido pleno propinquorum & clientum Cardinalis. Erant tum in illis regionibus dies longissimi, ut adulto jam vere esse solent, & Betonius arcem suam in usum belli ab Henrico Rege, qui jam Scotiae littora infestabat, parati communicabat tanta festinatione, ut propè diei noctem in opere conjungeret. Igitur cum diluculo ad operas immitendas aperiretur porta, Normannus è suis in domuncula propinqua duos præmissos in insidiis collocarat, ut janitore ab iis comprehenso, portæ compotes, signum, quod convenerat, ceteris darent. Hoc pacto sine tumultu omnes ingressi, quatuor è suis miserunt, qui Betonii ostium observarent, ne quis ad eum nuntius perferri posset: alii circa aliorum cubicula missi, qui hominum & locorum notitiâ freti ministros nominatim excitarent. Eos cum semisomnes singillatim evocassent, mortem præsentem, si quisquam mutiret, comminati, extra arcem inviolatos sine rumore eduxerunt. Ita ceteris ejectis cum soli arce potirentur, qui obsidebant Cardinalis ostium, tum demum pulsant, rogati quinquam essent, cum sua nomina edidissent, intro-<sup>Occiditur à perfidis.</sup> missi, promissa, ut quidam sunt authores, incolumitate, in ejus cubiculum irruentes, dum surgens è lecto vestiretur, exertis pugionibus quaqua versum in corpus adactis crudelissimè mactarunt; atque ad omnis immanitatis, & impietatis cumulum, occisi cadaver sacrâ purpurâ indutum in fenestræ cancellis spectaculo cunctis futurum, omni alio ludibrii & turpitudinis genere addito (quod minutius explicare justâ prohibemur verecundiâ) suspenderunt. Constans igitur fidei Catholicæ defensor evolavit ad superos die 29. Maij anni 1546. seu, ut vult Contelorius, Auberius, & alii, 1547.

Amici Betonii interfecti rumore captæ arcis per totam urbem sparso, ad auxilium & arma vocantes protinus advolarunt; sed qui eos ex arce spectabant, frustra tumultuari conclamarunt, & mortuo seram opem ferre. Prorex Hamiltonius, quod nec cognato suo sanguinis conjunctio; nec Cardinali dignitas; nec Cancellario regni majestas; nec civi domus propria ad evitandas impiorum insidias quicquam profuissent, gravissimè ferens, in tanti sceleris authores,

capitis, proſcriptionisque ſententiam tulit; arcemque, qua ſe incluſerant ſicarii, expugnare tentavit, ut meritas de iis pœnas ſumeret, ſed irritò conatu, donec miſſa ſequenti anno à Rege Francorum claſſe, Leo Strozzius ejus ductor illam expugnatam diſiecit, & captos ad unum reos in Galliam perduxit; qui tandem omnes tantum ſceleris pœnas violenta & exquisita morte luerunt.

*Sicarii in Gallia debitas ſupplicio pœnas luunt.*

*Elogia illius.*

Cæterum quo magis fuit ab impiis ac ſacrilegis Dei & Eccleſiæ hoſtibus indignè habitus Cardinalis Betonius, eo quoque ampliùs non tantum ab ipſo Romano Pontifice ad primarios honorum Eccleſiaſticorum gradus evectus eſt; verum etiam à plerisque optimæ notæ ſcriptoribus condignis laudibus exaltatus. Ab Archibaldo Hayo in prælaudato Panegyrico dicitur fuiſſe vir *poſt Regem in regno Scotiæ eminentiſſimus, opibus potentiſſimus, conſilio ſagaciſſimus, zelo Religionis ferventiſſimus, juſtitia, pietate, & eruditione clariſſimus.* Et alibi; *fuiſſe in eo ineffabilem comitatem, ab omni prorsus faſtu ſemotam; & ſummam in utriuſque fortuna varietate conſtantiam.* A Joanne Ferrerio Pedemontano in Epiſtola nuncupatoria ſuæ Appendicis ad Hiſtoriam Scotorum dicitur *Religionis antiquæ vindex, ac patria libertatis aſſertor, qui in ea fide, in qua natus, & ſanctè educatus fuit, uſque ad ſanguinis effuſionem perſtitit.* A Paulo Jovio, *Purpurei galeri dignitate, vitæ ſplendore, ac ingenii gravitate illuſtris.* Ab Andrea Victorello; *Acerrimus fidei Catholice propugnator, præcipuiſque illius cuſtos, ſpectata nobilitate, doctrina, & integritate inſignis.* Ab Henrico Spondano in Annalibus Eccleſiaſticis; *Zelo Catholice Religionis aſtuans; de cuſtodienda fide Catholica uſque ad impendium vita ſollicitus.* Unde Thomas Dempſterus in hiſtoria gentis Scotorum honorifico illum *Martyris* titulo appellat, atque ut talem Martyrologio ſuo Scotico inſcribit; quod fecerunt & alii multi ab ipſo: nominatim Andreas Victorellus in Hiſtoria anni Jubilæi; Ferdinandus Ughellius in Notis ad Ciaconium; Camerarius de Scotorum pietate; Spondanus in continuatione Annalium Cæſaris Baronii; Auberius, & alii paſſim. Eſtque duplex hujus honoris à DEO adepti pro ipſo conjectura, ſeu potius confirmatio, eaque validiſſima: prima, quod certa & indubitata aſſertione graviſſimorum virorum (à quibus Victorellus rem ipſam ſe accepiffe teſtatur) habeamus, ſanguinem, quo parietis aut fenestræ, è qua ille poſt mortem pependit, lapides tincti fuère, nulla arte, nullo conatu unquam deleri aut eradi potuiſſe: altera, DEUM iniquam adeò, & cruentam necem in ſicarios, quorum nullus, vel hæreticorum armis protectus, elabi potuit, divinitus ultum fuiſſe.

*Agunt de eo Thomas Dempſterus in Hiſtor. Scotor. Joan. Leslaus de geſt. Scotorum. Georgius Conæus de Relig. apud Scotos. Jacob. Aug. Thuanus in Hiſtor. ſua. Florim. Remundus in Hiſtor. hæreſum. Ludovicus Donius à Attichy in vita. Camerarius de pietate Scotor. Andreas Duchesnius in Hiſtor. gentis Betonice. Felix Contellor. in Elencho Cardd. Morerius in Diſt. Hiſtor. Ughellius & Victorellus in addit ad Ciac. & alii plurimi.*

Porro quia Betonius Cardinalis, inclytus Christi Martyr, sanguinis propinquitate, (ut initio diximus) ipsis Scotiae Regibus conjunctus, Mariam Stuartam Scotorum Reginam, posthumam Jacobi V. filiam, consanguineam suam, ne & ipsa, & regnum Scoticum hæresi contaminaretur, à prætenlo Anglici Regis hæretici matrimonio totis viribus amoliri conatus est, ac propterea non solum multorum Procerum in se odia, persecutiones, præsentissimæque vitæ pericula concitavit; sed & carceres, & indigna multa, ipsamque denique violentam mortem perpessus est: Nemo procul dubio vitio mihi vertet, si præclara incomparabilis hujus Reginae vitæ acta, cruenta certamina, & gloriosè denique obitum pro Deo & fide agonem, qui in hæc & sequentia tempora incidit, paucis hoc loco ex idoneis Scriptoribus lectori curioso ad oblectamentum & ædificationem ob oculos ponam.

*Betonius inclytus Christi Martyr.*

Vita Mariæ Stuartæ Reginae Scotiae,  
Ab Elifabetha Angla interemptæ.

Et profectò rara uspiam vel in Tragicorum Scenas Regina prodiit, quæ nobiliori gratiarum comitatu, in admirationem, amoremque sui: dein lugubriori spectaculo in commiserationem, & lacrymas theatra converterit. Nata est Maria Jacobo Stuarto, Centesimo quinto (ut Scoti numerant) Scotorum Rege. Ipsam quatuor Regnorum insignia ornare, sed forma, cui parem ea ætate fuisse nullam memorant, digna Europæ totius imperio habebatur. Æquabat decori corporis speciem verborum gratia, quam excellenti promptoque ingenio, non formæ, tanquam ejus lenocinio captus, imputares. Sed super omnia Religio fuit, & erga veteres Sacrorum ritus, sedemque in primis Apostolicam reverentia: uti ejus addecebat heredem regni, in quo tres, & octoginta Scotiae Reges eadem fidei constantiâ, obsequioque in Christi Vicarium florere. Septimo, postquam nata est die, regnare Maria Cæpit, amisso Patre, adeò ad cunas ipsas exornandas præfestinasse visi sunt regales tituli. Octavo mense diadema regni, sceptrumque inter festas populorum acclamationes accepit. Statimque Coronas, regias filiorum nuptias hinc Henricus Octavus Angliæ, inde Henricus Galliæ secundus obtulere. Quin etiam ad hæc nuptias armata sunt regna: Scoti gravi propterea bello, terrâ, marique ab Anglo lacesliti, à Gallo adjuti, à Legato Pontificis animati: qui Româ missus, Scotos, ut in avita religione persisterent, adhortaturus; visâ regia infante, laudasse eos dicitur, quòd pro cœlestissimæ indolis Principe adversus obscæna hæreticorum monstra bellum gererent, relaturi non paulò plus solidioris gloriæ, ut aibat, pro hac Helena, quam pro Græca relatum esset apud Troiam. Desponsata demum Francisco, Henrici Regis filio, Galliæ Delfino, atque illuc armis traducta, inter nuptiarum solemnium, Reginae Scotiae, atque Angliæ, nec non Hi- berniæ Titulum assumpsit, Henrici Soceri suasu: quòd Mortuâ per eos dies Mariâ Anglâ, Hispani Regis uxore, affirmaret Henricus, non ad Elifabetham Henrici Octavi spuriam, sed ad Mariam Stuartam, Jacobo V. Henrici nepote genitam, pertinere Angliæ Regnum. Retinuitque aliquamdiu eam appellationem mortuo socero, inau- gurata

*De Mariæ Scotorum Reginae præclaris virtutibus.*

*Fuit excellenti ingenio & corporis formâ.*

*Ejus religio.*

*Infans Regina coronatur.*

*Uxor expectatur à multis.*

*Galliæ Delfino desponsatur.*

*Ægrè fert  
Elisabetha  
assumptum  
à Scoti ti-  
tulum An-  
glia Regina.*

*Inde Scotiam  
turbat per  
Jacobum  
Regis Scotiae  
nothum, qui  
Religionis  
desertor &  
hostis regimè  
Scotia pro  
absente Re-  
gina Maria  
invadit;  
juncto fœde-  
re cum Eli-  
sabetha.*

*In utroque  
regno reli-  
gio Catho-  
lica cadit.*

*Maria redit  
in Scotiam,  
& spargit  
novi conju-  
gii famam  
ad terrendos  
hostes.*

*Inclinat in  
Darlæum.*

gurata consecratâque Gallia Regina. Atque hinc duci cœpta sunt  
fila funereæ illius telæ, quæ infelici sternenda suggesto, Mariae su-  
premiûm parabatur. Et enim Elisabetha ad Angliæ Regnum assum-  
pta, Stuartæ jam pridem æmula, invidâque, ubi audiit, illam mistis  
Angliæ, Galliaque insignibus, utriusque regni Dominam appella-  
ri, ut ferè POSSESSORES malæ fidei timor possidet, verita ne per  
Gallorum potentiam attentaretur aliquid in Anglia, turbandum sibi  
Scotia regnum distrahendûmque absente Regina, existimavit, oc-  
casione apprimè tunc nacta. Nam Jacobus Stuartus Jacobi V.  
nothus, Catholicæ Religionis, ac monasticæ familiæ desertor, quum  
Moravia in Scotia comitatum insanè ambiens repulsam ab Regina  
Sorore passus esset, odio inflammatus præsidium sibi quæsit ab  
hæresi, ubique parata turbantibus. Aggregatisque sibi, quos Cal-  
vinianâ licentiâ jam allectos in Scotia, eoque Mariae adversaturos  
intelligebat; sacrum ordinem, quasi meritò illum defervisset, in-  
sectari, templa, ac cœnobia evertere: opulentos Ecclesiæ redi-  
tus invadere, sacraque inde pecuniâ multos nobilium inescare: de-  
mum impetrato à nimia sororis facilitate Moravia Comitatu, spes  
suas attollere: ac mortua Guisfia regni pro absente filia moderatri-  
ce, mortuôque postea Francisco Gallia Rege ejusdem marito; Sco-  
tia Regimen sibi polliceri, ac tractare cœpit. Hinc illum & Angliæ  
Reginam facillè junxit commune in Mariae odium, & propria cujus-  
que utilitas. Ictôque fœdere adversus Catholicos, quibus domi-  
nantibus neque hæc diu tueri se posse regnum, neque ille adeptu-  
rum se aliquando sperarent; vetus utrobique Religio miseris sanè  
modis labefactata: ac duo præstantissima Europæ regna, unâ hinc  
spuriâ instigante, unôque inde notho adnitente, à complexu Ec-  
clesiæ legitimæ Matris, abstracta sunt. Et Maria quidem cujus  
non minùs perculit animum Religionis in Scotia, quàm in Gallia  
Mariti Regis interitus, in Scotiam reversa nullum præsentius reme-  
dium objicere turbatoribus regni quàm conjugium & spem sobo-  
lis, meliorum persuasione, decrevit. Quamobrem evulgato Ma-  
riae Consilio, jamque variis legationibus expetito certatim matri-  
monio, præsertim à Cæsare pro Archiduce Carolo, atque à Phi-  
lippo pro Carolo Hispaniæ Principe, intercedere protinus Angliæ  
Regina, perque Moravium Mariae suadere, ne maritum extra In-  
sulam quæreret, conata est. Nec illa dissentiebat, quæ jam ani-  
mum adjecerat ad Liviniæ Comitum filium, Henricum Stuartum  
Darlæi Dynastam. Causa hujus Consilii fuerat, quòd Darlæus ge-  
nitus ex Henrici Septimi Angliæ Regis nepte, secundus heres An-  
gliæ regni habebatur. Ideoque reputaverat apud se Maria, posse  
illum, si ex potentioribus Angliæ familiis uxorem duceret, Anglo-  
rum viribus subnixum sibi aliquando negotium faceffere ad suc-  
cessionem.

Accedebat decora juvenis species undeviginti annos nati, par-  
morum suavitas, & à Catholica Religione commendatio. Itaque  
festinavit accersere illum ex Anglia, ubi cum patre extorri à patria  
jam pridem agebat: frustra conjugium improbante Elisabetha, ac  
Darlæi loco Leicestrium Stuartæ junctû volente, hunc enim despon-  
diffe

disse jam sibi Elisabetha ferebatur; sed (præter ea, quæ alibi memoravimus) ut, dum moras nectendo, alium alio pelleret, nec alium, nec aliquem ad extremum induceret. Id quod ad firmandum sibi Angliæ sceptrum ipsa referebat: Et Moravii inprimis intererat, ne Scotiæ & præsens regimen & devoratum spe regnum amitteret. Sed jam illa properato matrimonio, ac filio postmodum aucta; quem Scotiæ atque Angliæ Regem sub nomine Jacobi VI. vidimus, quantum sollicitudinis Angliæ Regiæ Scotisque rebellibus inculsit, tantò ipsa validioribus insidiis, struente Moravio, involuta est; sparso in vulgus rumore, decrevisse illam, firmato jam prole regno, veterum sacrorum cultum restituere, atque Ecclesiæ bona in plerosque Nobilium translata, ab usurpatoribus repetere, eoque à Conjuratis processum est, ut armis palam sumptis, mox, quoniam aperta vis improspere cesserat, occultè discordiis inter Reginam, Regemque jactis, sed brevè compositis: Denique Darlæo Nobilium conspiratione perfidè interempto, viduam Reginam in potestatem aliquando redegerunt. Neque hîc cessatum. Nam Jacobus Eburnus Botuelii Comes, Scotici maris Præfectus, quem Moravio ad cædem Regis incitasse, eidemque promisisse Regiæ nuptias eo consilio ferebatur, ut invidia regiæ cædis apud Mariam inextricabilis adhereret, si ipsa cum mariti interfectore matrimonium contraxisset; hic, inquam, Botuelius postquam iisdem auctoribus, quibus scelus patraverat, est absolutus; armata militum manu Reginam Sterlino redeuntem invasit: Ac nuptiarum promissa proferens publicis Procerum tabulis obsignata, ad conjugii assensum adegit, non antè tamen, quàm ipsam operam suam pro Catholicæ Religionis instauratione cum Regina sociandam, Sacramento multis coram obligasset. Hoc autem ubi à primariis Calvinianæ factionis auditum, versis in odium studiis concitæque plebe, Botuelius *Regiæ cædis author, Pontificius satelles, patria proditor* vulgò proclamatur. Et gliscente rebellium armatorum numero, Regina quum se imparem subitæ, inopinatæque aggressioni videret, ac speraret elapso Botuelio, tumultum facillè sedatum iri, clam illum emittit, conniventibus hostium ducibus, quippe veritis, ne capto, vocatòque ad quæstionem, Botuelio, ipsi regiæ cædis socii denudarentur. Nec ideo quievère: Quin etiam Reginam, quæ rejecto multorum obsequio ad ejus tutelam certatim confluentium, in rebellium castra spontè processerat, impacati aggrediuntur, captamque in privatas primùm ædes, dein necis in maritum patrata insimulatam, in arcem quàm arctissimè custodiendam inducunt. Hic Maria, quum à Moravio tristiora in dies, ac suprema expectaret, fideli subditorum operâ virilem vestem induta, ex arce fugam arripuit. Ac varios post casus, commissumque ad eam retrahendam prælium, ubi se ab insequentium insidiis expeditam ad regni fines vidit, incerta animi quò progrediretur, quum Comitum alii Belgium petendum, alii Galliam suaderent; ipsa, cunctis magnopere dissuadentibus, Angliam anteposuit. Mota dicitur ad hoc consilium capessendum, recordatione promissæ opis ab Elisabetha: Quæ paucis antè annis, secti adamantis partem alteram Mariæ do-

*Crescunt  
turba re-*

*Darlæus  
à Botuelio  
interficatur.*

*Maria cogi-  
tur nubere  
Botuelio.*

*Botuelii sui  
gâ.*

*Regina in  
arce cap-  
tiva deducitur: sed e-  
labitur sua  
gâ.*

*Fugit in  
Angliam, ob  
quâ causâ?*

no mittens adjecerat, si quando bipartitæ illius gemmæ symbolum remitteret in Angliam Maria, quibuscunque circumventa necessitatibus; statim se eo monitore excitatam auxilium ei, quantum expectari à forore posset, allaturam. Sed nimirum facilius sectus adamas iterum coire, quàm dissociati animi contentione Religionis & regni, coalescere inter se possunt.

*Maria in itinere sistitur; & uti rea ab Elisabetha evocatur.*

*Innocens reperitur; accusatoribus non impunitis.*

*Novæ accusationis capta.*

*Ad ea Mariæ responsio.*

Hac datâ fidei, & hospitii tesserâ ad Elisabetham præmissâ, in Angliam secura pergebat; quum à militari Tribuno obviam facto, paulum subsistere, Reginæ Elisabethæ nomine, rogatur. Inde in Bortonum pagum deducta, appositisque custodibus cincta, tunc serò sensit, ac damnavit credulitatem suam: tantoque magis, quanto mox dicendam ad causam coram Elisabetha de Darlæi cæde, qui Londini natus ad Reginam Angliæ pertinere videbatur, evocata est. Quod illa averfata primùm, dein testata, Reginam se nulli mortalium, uni solum Deo, & Christi Vicario subjectam; Legatos suos ad illud tribunal, non tanquam ad iudicium, sed ad colloquium emisit. Ibi multis sanè argumentis, & confessione famulorum Botuelii, qui ob eam cædem suspendio necati Mariam infontem, insciâmque, populo coram, testati sunt; (uti hoc idem postea Botuelius ipse captus à Danis in quæstione juravit) Maria à suspitione objectæ cædis, omnium qui aderant iudicio, exempta est: Immò in altero etiam conventu super eadem re indicto, rejecto in accusatores, Mortonum in primis atque Moravium, crimine, propius supplicio fuere, qui supplicium intentaverant.

Quamquam Mortonus supplicium distulit, non evasit, siquidem aliquot post annis, Darlæi cædis manifestus, ob idque iussu Regis Mariæ filii, securi percussus, Mariæ innocentiae testis fuit. Nec Moravius in hac Darleanæ causæ retractione abiisset impunis, nisi multò antè ab inimico interemptus, spiritum, quem patibulo debuerat, præfestinè reddidisset, verùm primis hisce ad Mariæ exitium frustra tentatis, occasiones dein aliæ non defuere. Pontificiæ Pii Quinti literæ diro Elisabetham anathemate ferientis, regnorumque jure spoliantis: Mota in illam in boreali Anglia nobilium arma: Fama nuptiarum Mariæ cum Thoma Houvarido Norfolciæ Duce: Auditus Albani Ducis adversus Angliam belli apparatus in Belgio, atque inde transmissus in insulam Marchio Vitellius: hæc simul omnia comperta, & tanquam ad Scotiæ Reginam liberandam, & in Angliæ imperium, oppressa Elisabetha, sustollendam composita, novum ei severiùsque iudicium intenderunt. Deportataque in arctiorem custodiam, atque illuc missis ab Elisabetha è prima nobilitate iudicibus, rationem eorum, quæ objectabantur, afferre iussa est. Nec illa negavit, quæsitam à se libertatem ex ea custodia, qua contra jus, fasque, Regina nulli subdita, detinebatur, ob eamque rem implorasse se Romani Pontificis preces, atque opem: literarum autem, quas Pontifex in Reginam Elisabetham emisit, ignaram se esse, non se respuisse vicina Ducis Albani arma, quibus ipsa in regnum suum, non in alienum statueretur, non se repudiasse consilium de nuptiis cum Norfolcio, nempe oblatum à Moravio Elisabethæ arcanorum conscio: Non tamen ultra consultatio-

nem

nem processum esse, postremò non se ulli miscuisse conspirationi nobilium, quamvis illi honorificum liberandæ Scotorum Reginæ titulum armis suis imposuerint. Quæ aliâque in hanc sententiam postquam Maria disseruisset, scriptis ad Elisabetham literis, expositoque quàm indignè secum actum esset; oravit, ut aut permitteret ire se in Galliam ad cognatos Guisios, à quibus speraret eam opem adversus rebelles suos, quam impetrare in Anglia à sorore nequisset: Aut certè non arceretur ab ejus conspectu colloquioque apud quam suspiciones omnes facilè purgaturam se non dubitaret. Sed non modò neutrum impetravit, Duce ipso Norfolkio ob eam causam securi percusso, sed novis iterum suspicionibus, novis criminationibus Regina infelix appetita est. Nempe quo plures in libertatem ejus intendebant, eo causam indeprecabilius aggravabant: Ac juvandi studio, altiùs nocebant. Venerat in Belgium Joannes Auftriacus Caroli Cæsaris filius, operâ in primis Gregorii XIII. qui misertus indignam Mariæ sortem, Philippo Regi Author fuerat, ut in provincias Gubernatore tunc vacuas fratrem induceret, qui & ob patris memoriam acceptus Belgarum populis esset, & ob propriam maritimis in bellis claritudinem suscipere expeditionem in Angliam, ad liberandam Scotorum Reginam, non vana spe posset. Nec Auftriacus quidquam comittebat, quo provincias, quacunque ratione componeret: Ut solutus omni per Belgium cura, ad Britannicam expeditionem sese accingeret.

*Ex adventu  
Joan. Auftriaci in  
Belgium  
novis accusationibus  
urgetur.*

Orangius arcana expiscatus, aperuit illa Elisabethæ: addiditque, sibi constare, Mariam Stuartam Pontificis Romani, Hispanique Regis communi consilio, conjugem Auftriaci destinatam esse. Id verò variè torfisse dicitur Elisabethæ animum ambigentis consultantisque, satiusne foret, Mariam in Scotiam remittere, vexandamque rebellibus suis tradere, certè ab Anglia occasiones armorum procul pellere: An potiùs cum Mariæ morte, causas pro captiva conspirandi aliquando præscindere. Et quamquam in hanc partem ferebantur plerique consultatores, serio incultantes, Maria incolumi nusquam fore aut Reginæ, aut Religioni in Anglia securitatem, eoque rem devenisse, ut diverbium illud de duobus olim Principibus Conradino & Carolo, nunc duabus de Reginis vulgò usurpetur. Aut Scotiam ab Anglia, aut Angliam à Scotia, Reginæ tamen publicum dedecus apud se subindereputanti visum est, callidioris consilio spargere in vulgus, reconciliatam se Mariæ, ac brevi cum ea relaxanda transacturam. Sic utique sperabat sistere in præsens, si quæ à Belgio, aut aliunde prætentarentur: Simul ejusmodi conditiones Stuartæ imponere, quas illa facilè aspernante, res demum omnis in irritum caderet. Et sanè, ubi audiit Maria, peti ex se inter alia, ut filium cum aliquot Scotiæ Proceribus obsidum loco in Angliam accerseret: Et ipsa antiquatæ jam per Angliam Scotiamque Romanæ Religionis nuncium remitteret; indignata respondit, conditiones quascunque alias admissuram se: At mori potiùs, & si quid gravius est morte, pati velle, quàm aut filium, aut animam indignè prodere: avitam Religionem à tot retro Regibus progenitoribus suis ritè traditam, & cordi & curæ sibi

*Admonetur  
Elisabetha  
de novo ejus  
conjugio.*

*Consultatur  
quid sibi de  
Maria agendum  
est necandam  
plerique  
que consent.*

*Callidè reconciliatio-  
nis conditiones  
proponit.*

per-

perpetuò futuram. Finis colloquii fuit, mutatus angustiorque carcer, imminuta familia, aucti custodes. Quippe implicito Belgicis turbis Austriaco, mox, & extincto, omnem à Belgio metum exuerat Elisabetha. Sed propior illam sollicitudo excepit domi. Conjuravêre nobiles aliquot Angli, promptissimo eorum Antonio Babingtono: in séque suscipere, Anglam de medio tollere, Scotam substituere, Catholicam Religionem regno reddere. Sed prodita detectaque conspiratione, ac repertis conjuratorum ad Mariam literis, illicò in quæstionem ipsa postulatur. Septem & quadraginta viri partim è senatorio, partim è Forensi Ordine ad cognoscendam causam festinantur ab Elisabetha, proferuntur Conjuratorum ad Mariam literæ: Ejus aulici duo, uti conscii arguuntur: Omnia contra novissimum Elisabethæ edictum attentata pronuntiantur. At Maria tot inter causidicos, & leguleios, quæstia primùm, agi secum contra quàm cum Principibus ritè inunctis, & consecratis agi deceat, neque enim, quòd carcere attineretur, minùs Reginam se, eoque liberam: Neque Elisabethæ, aut ulli mortalium, præterquam Vicario Christi subiectam esse. Tum defensionem orsa, inficiata non est, auditas sibi aliquoties multorum, aut Anglorum, Scotorumque, aut externorum Principum curas pro se in libertatem asserenda susceptas: ac pio illorum officio, pro quo laudem apud posteros merebuntur, lætatam se fuisse: &, ut exitu non carerent ejusmodi conatus, optasse. Id verò, an cum Elisabethæ vitæ discrimine quæsitum sit, neque se consciam fuisse, neque in talium conspirationes operam suam, aut nomen aliquando commodasse. A Babingtono, aliisque postremò conspirantibus nullas se adversus Reginam litteras accepisse: quæque ab eo scriptæ dicuntur Mariæ nomine à Mariæ aulicis, dolo malo fictas esse; promptamque se, si illi in conspectum veniant, mendacii redarguere. Ad extremum tacto dextera manu sancti Evangelii codice, aversum sibi Deum precata est, si quidquam contra Reginæ vitam egisset, aut cogitasset, una in re addidit, agnoscere se non innoxiam, calamitatésque, in quas incidit, promeritam: quòd indulgentior in apostatam Monachum fuisset, quòdque post reditum è Gallia lenitate nimia, Dei, & Catholicæ Religionis hostes in regno suo tolerasset. Sed incassum defendebatur illa, quam judices prædamnaverant, statimque & ab Ordinum in Londinensi urbe conventu Maria læsæ majestatis rea pronunciata est: & festinatâ legatione in Galliam, missus ab Elisabetha libellus regis damnationis ad Henricum Regem & Mariæ, quid à regni Ordinibus decretum esset, Elisabethæ litteris significatum. Illa autem nihil inde consternata, quin vultu placido, actis nuncio gratiis, Deum precata est, ut quam innocentem sciret, fortem quoque, & in Catholica Religione, pro qua libens mortem oppeteret, constantem vellet.

Intercà appullus in Angliam multo comitatu Pomponius Bellicuræus ab Henrico Rege ad Elisabetham legatus cum responsis ad singula damnationis capita, magnis urbem rumoribus implevit, quasi propediem secururam Mariæ libertatem. Ferebaturque in man-

*Conspiratur  
ab Anglis  
contra Eli-  
sabetham.*

*Detectâ  
conspiratio-  
ne in Mariâ  
inquiruntur.*

*Mariæ ra-  
tionem  
reddit.*

*Una in re  
peccatum à  
se esse fate-  
tur.*

*Læsæ Maje-  
statis rea  
pronuncia-  
tur.*

*Legatio è  
Gallia.*

mandatis Bellicuræus habuisse, omnem operam adhibere Galli Regis, Galliaque universæ nomine, ut Scotiae Reginam imminente periculo subtraheret. Quamquam Bernardinus Mendoza, Hispani Regis apud Henricum Orator, Vir aulae Principum intelligens, affirmavit ad Alexandrum scribens, videri, Reginae liberationem fuisse minimam causarum decretæ legationis, illa potius Regi curæ esse, legatoque impensius injuncta, ut Angliæ Reginam induceret ad pacem Bearnæ, Condæique Principibus, & Turenæ Vicecomiti, pro ea qua erat apud illos authoritate, persuadendam, simul ut de fœdere cum aliquibus Germaniæ regulis ineundo, Angliæ mentem exploraret, ac certi aliquid cum ea conficeret, quod confectum fuisse à Bellicuræo, ex aliquorum conjectura, scripsit postea Alexander ad Regem. Sed siue Mariæ causam minus anxie curaverit Galliæ Rex, siue potius illum, ne in eam curam totus atque armatus incumberet, intestina Galliæ bella retardaverint, certè ab ejus legato non modo pro captiva Scotiae Regina peractum est nihil, sed hæc ipsa legatio (ut cætera ad illum diem tentamenta) Mariæ in perniciem vertit, ac supremum ei fatum maturavit. Etenim post discessum Bellicuræi, quum ex bimestri dilatione supplicii, nutare crederetur Elisabethæ animus Gallica legatione suspensus; ingens profectò sollicitudo invasit cum hæresum Antistites, tum aulae consiliique primores, Leicestrium, Cæcilium, Valsinganum, aliosque nonnullos, certum sibi à Mariæ incolumitate, in quam capitis sententiam tulerant, infortunium metuentes. Quippe secum reputabant, post excessum Elisabethæ, haud dubiè Stuartæ deberi Angliæ regnum, hac autem rerum potente, de se pariter omnibus actum esse, nempe novam fore regni faciem, multo quàm sub alia Maria, novo Evangelio infestior: adesse enim Scotiae altiores Spiritus, & odium in hostes Catholicæ Religionis longà carceris injuriâ proritatum. Inde ad Elisabetham conversi eò quidem audacius, quò grata se offerre non ignorabant; queruntur, tot Procerum Senatorumque judicium, ac regni totius votum tamdiu protelando contemni: ea procrastinatione nihil effici, nisi ut ad novas excitandas impiorum conjurationes spatium extendatur, posse in adyta irrumpere, qui toties in vestibulo fuerunt: nec semper aberrare, qui sepè jaculantur: itaque liberaret seque & regnum ea sollicitudine: pateretur Angliam uni parère, nam duo jam regni capita monstrari, nec magis Elisabetham Anglicana Ecclesiæ Principem ritè coli, quàm Mariæ ad Aram confugere Catholicorum reliquias. Neque hoc contenti, comitiorum, quæ tunc agebantur, opportunitate utentes evincunt, ut subsidium, quod ad reparandum in Belgio bellum enixè petierat Elisabetha, comitiorum decreto non exigetur antè, quàm capitis sententia in Scotiae Reginam jam pridem lata, executioni mandaretur. Sic & Leicestrio pecuniam ad delectum novi exercitûs urgente: & Elisabetha illam qualemcunque necessitatem ad explendam cupiditatem amplexante, Mariæ festinata mors est. Igitur Elisabetha, postquam videri poterat ex supplicii dilatione meruisse clementiæ laudem, & compulsa ad executionem imperandam declinasse invidiam, jubet cum

Vulgo libera-  
randa cre-  
ditur.

Legatio Gal-  
liæ po-  
tius obest,  
quàm pro-  
dest.

Heretici ur-  
gent Mariæ  
mortem  
apud Elisa-  
betham.

Mortis sententia ad Mariam persertur.

Ille de Sacerdote ad confessionē non admisso dolet.

Cantii Comitum sententia.

Maria scribit ad varios.

Ad mortem se parat, sumitque divinum epulū.

Elisabetha somnio matrone terretur, suppliciumque differre cogitat.

rea juxta regii Senatūs Ordinūmque regni sententiam agi, confici- que de fumendo supplicio mandatum, quod à Buchofstro supremo Angliæ Quæstore, atque à Roberto Bessæo à regni secretis, ad Mariam in Fodriganum Oppidum, ubi illa attinebatur, perlatum est; ultimāque ei necessitas, Reginae, & regni nomine indicta. Nec imparatam, aut averfam feralis nuncius invenit: hunc enim illa diuturni carceris exitum expectabat, haud inscia; *In magnis Principum injuriis non incipi, ut desistatur.* Illud gravius accepit, quod evocatum ad se Sacerdotem, aulicum suum ab eleemosynis, ut apud illum animi noxas, uti consueverat, expiaret, aditu excluderent; multa in hæc priscae pietatis Sacramenta, ceu superstitionum inania superaddentes; ipsamque ad hujusmodi deliramenta Catholicorum, in eo saltem articulo deponenda, certatim cohortantes. Quos illa quum faceffere ab se jussisset, certè non aliā se processurum viā, quā quæ ab Apostolis, ac Pontificibus Apostolorum successoribus monstrata esset: usque adeo copiosè & constanter adversus novissima Apostatarum commenta differuit, ut admiratus inter eos, qui causæ præerant, vir sanè primarius, continere se haud potuerit, quin palam diceret; *Necessariò tollendam è medio fuisse illam, cujus vita timeri posset, ne reformata Religionis mors esset.* Ad quæ gaudio ipsa prægestiens (namque similia his audierat ab iis, qui sibi nuncium mortis attulerant) egisse dicitur Deo grates, quod ad Religionem Catholicam in ea Insula restituendam, instrumentum haberetur. Hæc autem ad eum, quem dicebam modò, Sacerdotem Maria perscribens orat, ut se omni humano desertam auxilio, in illa noctium suprema non desereret ipse; sed confitenti peccata sua soli Deo, quando apud hominem confiteri prohiberetur, veniam à patre misericordiarum impetraret. Ac præterea compositis ad Elisabetham Reginaem, ad Henricum III. Galliarum Regem, ad alios literis, commendatoque, inter monita ad filium Regem anxie transmissa, amore ac patrocinio Catholicæ Religionis, pro qua mater occumberet, & in quo Majores sui, Reges antè decesserant; in secretius cubiculum, dimissis etiam plerisque fidelioribus ancillis, noctem illam precibus traductura se abdidit. Atque humi prostrata ante Domini è cruce pendentis effigiem, actis suppliciter gratias per commemorationem beneficiorum, inter quæ mortem mox subeundam adnumerabat, Sacrosanctum Christi Domini corpus clam apud se servatum (potestate, quam Mariæ ob singularem in fide constantiam, ad hunc usum indusserat Pius V.) è suis ipsa manibus venerabunda suscepit.

Hæc dum Fodriganum agebantur, ferunt Londini eadem ipsa nocte, (quam Elisabetha curis agitata infomnem ducebat) matronā in ejus conclavi dormientem, repente spectris expergefactam exclamasse; *Videte se Mariam Stuartam capite obtruncari, mox è Dominam suam (Reginam scilicet Elisabetham) plecti eadem securi.* Quibus clamoribus Elisabetham, quæ similibus quoque imaginibus distrahebatur, exterritam sollicitè mandasse, advolaret illico nuncius Fodriganum, ac Mariæ supplicium differri suo nomine imperaret. Sed serò hæc

para.

parabantur, peracta jam, quatuor ante nuncii adventum horis, Regina cæde. Etenim albescente vix dum die, festinantibus, qui Mariam adservabant, atque admonentibus, cuncta parata jam esse ad ultimum illum actum; paucis suorum comitata, jussisque (in que-  
*Maria ad supplicium dicta cohibet suorum fletum.*

Ad ejus aspectum audiri totâ ubertim aulâ cœpère, quamvis premerentur, suspiria & singultus. Crevitque palam comploratio, ubi illam conspexere ferale pegma, impar sanè reginæ Majestati solium, ascendentem, sequente carnifice. Hoc è suggestu Maria solito lætior, pulchriorque (nam visam omnibus perhibent mirâ decori vultûs specie prænitentem: sive nativam oris formam  
*Solito lætior ac pulchrior apparet.* commiseratio intendebat, seu vicinæ beatitudinis aliquis jam tum fulgor afflabat) conversa ad multitudinem oravit, qui inter eos adessent, Catholicæ religionis cultores, ut secum in eo vitæ mortisque confinio, preces consociarent ad Deum: Quem ut innocentia suæ causam ac testem adorabat, ita ab eodem veniam mortis suæ authoribus ex animo posceret. Postremo provoluta in genua, postquam ipsa sibi velum è capite submovit, & collum lacte candidius nudavit, crucifixum Dominum arctè complexa, osculataque, cervices carnifici Regina subjecit, à quo tremeundo atque  
*Caput amputandum præbet.* inhorrescente, nonnisi post tertium vulnus, avertentibus oculos ab eo spectaculo etiam qui mortem ejus concupiverunt, regium Mariæ caput sacras inter preces amputatum est die 18. Febr. anno à Christo nato 1587. ætatis suæ 44.

Atque hunc exitum habuit Scotiæ Regina: magnum si quod aliud utriusque sortis exemplum. Forma, ingenio, regnis Scotiæ  
*Ejus elogium.* atque Galliæ, quæ administravit, & qui debebantur, Angliæ, Hiberniæque titulis fortunatissimè cumulata. Sed versa felicitate, à nothi fratris Comitæ Moraviæ odio prodita, à Regina Elisabethæ Sororis invitatu decepta, ab hæresi periclitante criminationibus circumventa, à Magnatum Judiciumque privatim sibi præcaventium sententiis iniquè oppressa, ab Elisabetha amittendi regni metu damnata, nullo teste coram producto, sine quo ex regni lege damnari ne privatus quidem potuit; post viginti ferè annorum captivitatem, post mutati sexiesdecies carceris illuviem, tanto vitæ spatio inter custodum injurias traducto, destituta omni in visentium solatio, præter aliquas Romanorum Pontificum literas clam illatas; regnis, libertate, vita, spoliata est carnificis manu.

Audita morte ejus, Elisabetha ad ablolendam fusi regii sanguinis infamiam, simulato mœrore, lugubria induit: & quasi extortum sibi capitale mandatum; & contra, quàm ipsa injunxisset, festinatum fuisse, à secreti scrinii ministro Davisono; statim reum illum  
*Luctum simulat Elisabetha.* agi, pecuniæque, & carcere mulctari voluit, multum iridentibus, qui eodem tempore Londini videbant, festis ignibus, campanarumque sonitu, edi lætitiæ publica signa ob innocentis Mariæ cædem:

Odium Prin-  
cipum in-  
currit.

Judicium  
Alexandri  
Parmensis  
de Maria.

Buchananus  
calumniator  
Mariæ o-  
stenditur.

Se ipsum ta-  
lem esse mo-  
riturus fate-  
tur.

Qui ex vero  
de Maria  
scripserint.

ac postea in ejusdem ministri Apologia, qua is nihil ab se, nisi è Re-  
ginæ mente factum esse palam testatus est, evolutam palliatæ fabu-  
læ telam amplius agnovère. Certè Elisabetha publicum non evi-  
tauit odium Europæ Principum, ob violatam in Mariæ supplicio Ma-  
jestatem regiam succensentium, infulaque in ipsâ aufos vidit, qui po-  
sito ad tumulum lapide, facinus illud, *nefarium judicium, barbaram  
& tyrannicam crudelitatem* notavère. Et Mariæ abstulit illa quidem  
regnum & vitam: nempe res caducas, & brevi auferendas: sed red-  
ditum ei ævum in cælo beatum, & mansurum imperium pro ejus-  
modi jactura tutò creditum est. Sanè scribens ad Philippum Hi-  
spaniæ Regem Parmensis Dux Alexander, postquam dixisset, Ma-  
riæ finem vulgo lamentandum, ipsi ad immortalitatem gloriæ ap-  
petendum fuisse, affirmare non dubitavit; *Posse Scotiæ Reginam in  
Martyrum numero, qui in Anglia fudère sanguinem, meritò censeri; atque  
adeò in cælo degere corona præcinctam, multo, quàm quæ ei injustè ablata  
esset in terris, pretiosiore.* Imò neque illo, neque ullo post tempore  
defuère complura & decora ingenia, à quibus vario styli genere,  
Mariæ laudes per omnem ejus vitam, inque ipsa præsertim morte  
constantissimè pro Religionis patrocinio suscepta, literis commen-  
datae sunt. Ut profecto horum Scriptorum autoritas faciliè præ-  
haberi debeat uni Georgio Buchanano (nam reliqui ferimè ex hoc  
lutulento fonte turbidam hausère) qui partim odio in Jacobum Re-  
gem Mariæ patrem, à quo propter hæresim & scelera exulare jus-  
sus fuerat: partim spe inductus à Moravio, si hic regno potiretur,  
se in Scotiæ Patriarcham assumendum; ea adversus Mariam, deque  
Scotiæ regno scripsit, quæ & à regni Ordinibus, uti falsa & putida  
commenta, damnata sunt; & ipse postea, ut nec in perfidia con-  
stans erat, coram Jacobo Rege Mariæ filio tanquam contumeliosè,  
immeritòque concinnata reprehendit. Et ne hoc Jacobi gratiæ  
datum videretur ab homine commutabilis fidei, morti proximis,  
quum adulationi nulla merces, optasse dicitur tantum vitæ ac Spi-  
ritûs, quantum revocare ac retractare, quæ malè emiserat, macu-  
lâsque innocenti Mariæ falsò asperfas, suo utique sanguine delere  
posset. Cæterum vitam Mariæ Reginæ, (quam nos hic ex Fa-  
miano Strada Decade secunda de bello Belgico lib. 8. retulimus)  
fideliter descripserunt inter primos Florimundus Remundus lib. 6.  
de Origine hæres. Georgius Conæus in vita Mariæ. Henricus Spon-  
danus in Annal. Eccles. Nicolaus Caussin in Curia sancta. Hilarion  
de Costa in Elogiis illustr. foeminar. Liber intitulatus *Martyrium Re-  
ginae Scotiæ.* Jacobus Augustinus Thuanus in hist. sui temp. lib.  
86. Ludovicus Morerius in Dict. hist. verbo *Marie Stuart.* aliique  
plures.

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

PETRO BEMBO  
S. R. E. CARDINALE.

**P**ETRUS Bembus, Patricius Venetus, natus anno à partu Vir-  
ginis 1470. die 28. Maij, patrem habuit Bernardum Bern- LIII.  
bum Senatorem, virum nobilitate generis, juris scientia, & Bembus  
dignitate clarissimum. Hic ob insignem rerum peritiam, quis?  
doctrinæque famam à Senatu Veneto Florentiam Legatus missus,  
cùm biennium domo patriis legibus abesse cogeretur, Petrum fili- Juris scienti-  
um excitati ingenii adolescentem, politioribus literis ibidem imbu- t. in claris si-  
endum secum abduxit. Nec sefellit patris consilium filii industria: a. us.  
sic enim docile Petri ingenium (attestante Joanne Casa) Florentiæ  
scientiis amœnioribus excultum est, ut summa omnium admiratio-  
ne nondum lanugine tectus, multa cùm Latinè, tum Tuscè à se  
scripta ediderit; quibus nihil hominum auribus politius, nihil ele-  
gantius aut suavius accidere possit.

Jacebat omninò temporibus illis eloquentia, inquit laudatus Bonarum  
Auctor, inquinatè enim loquebantur omnes, nullus erat verborum literarum  
delectus, nullum Scriptorum discrimen; nam & ipse negligebatur neglectus eo  
Cicero, vel potius contemptui erat, & Cæsarem propter historiam tempore mi-  
modo cursim, & oscitanter legebant; Livium, Tacitum, Terenti- serabilis.  
um; Virgilium, cæterosque auctores bonos in ludo tantum, & qui-  
dem perpauca discebant: Post puerilem illam disciplinam fumebat  
eos in manus nemo. Duros, obscuros, asperos Scriptores adama-  
bant, confectabanturque abditas, abstrusasque historias, aut fabu-  
las. Qui iis ineptiis referti essent auctores, ii demùm probati, eru-  
diti numerabantur. Ergo si verum querimus (inquit allegatus Casa)  
nihil ante Bembi aetatem solidè, concinnè, Latinè scriptum octingentis ipsis  
annis est, quod Romam illam veterem redoleat, aut magno perè lectione di-  
gnum sit: solæcismum enim vitabant, quantum quidem ex arte Grammati-  
ca didicerant, idque ipsum haud quaquam semper: Id unum, qui præstare  
poterant, Latinè loqui sese putabant; nulli, quis aut qualis purus ille, in-  
corruptusque veterum Romanorum sermo esset, extra unum Petraracham, aut  
Politianum, noverant. Hos igitur cùm haberent Auctores duos, utrumque  
in suo maximè genere excellentem, scribebant ipsi ineptè abjectissimis verbis;  
nullus erat orationis ornatus, nulla homine erudito scientiæ digna, nulla  
virilis compositio, aut numerorum ratio. Par erat atque idem eorum error,  
qui Italicè scribebant; paucos invenias, quos, ut in Tuscorum scriptorum  
numerum referas, dignos censeas. Hucusque Joannes Casa; qui an  
verò scripserit? judicent alii.

Hanc igitur inter erroris atque inscitæ caliginem Bembus ad Bembus lucē  
veterum Scriptorum tanquam lumen ac lucem respexit primus: accendit ca-  
Primusque ab omnibus, magnis quidem hortationibus, magno suo ligini indo-  
cti temporis

labore (reclamantibus multis ac repugnantibus) impetravit, ut Ciceronis, ut Virgilio, ut Ovidio, ut Cæsaris similes sese in dicendo aut pangendo, quam Apulei, Macrobio, Statiique esse mallerent: Cum contenderet, oportere, qui scriberent, eam dicendi formam, quæ optima esset, habere animo & cogitatione comprehensam; ad eam tanquam ad exemplum aliquod orationem scriptionemque suam dirigere: Demosthene, aut Cicerone perfectius in dicendo aliquid promere se posse, qui profiterentur, suam quidem sententiã nimium subire oneris, nimium suis fidere viribus, quorum etiam jam olim errore ac temeritate factum esse existimabat, ut malos multos Scriptores haberemus. Nam cum nonnulli à Cicerone discedere, sui que planè esse vellent; cum aliter atque ille dicere studerent, quoniam is perfectus absolutusque esset, deterius dicere cogebantur. Hæc Bembo cum dicitaret, atque etiam literis mandaret, ægrè ille quidem, sed multis tandem persuasit, spreto ac repudiatos antea Scriptores optimos illos repeterent, propósitosque sibi ad imitandum haberent. Quo quidem egregio Bembo labore quantum eloquentia adaucta sit, cuius facile est noscere, si ea, quæ ante hanc illius disciplinam scripta sunt, cum posteris Scriptoribus conferantur.

Obita legatione Florentina, domum Bembo cum patre rediit, jam bonarum artium studiis incensus; jam eloquentiæ, ac scribendi magno quodam amore flagrans. Itaque in Siciliam usque, ad Constantinum Lascarem literarum Græcarum causâ profectus, trienniumque ibidem commoratus, tantum ingenio, labore, assiduitate profecit, ut Græcè non modo optimè sciret, sed etiam exactè loqueretur, & luculenter scriberet. Atque in Sicilia, cum esset, Latinè de Æthnæ incendiis scripsit ad Angelum Gabrielem: Qui liber ab eo editus, vel hodie in manibus eruditorum non sine laude versatur. Post eam peregrinationem celeriter Bembo affectus est, ut maxima apud omnes Italiæ civitates, quin & exterarum etiam nationes, ejus esset ingenii admiratio. Ita enim, uti res est, sic homines statuebant, perdifficile factu esse, unum atque eundem duabus imò tribus linguis tam scitè, tamque ornatè & copiosè uti posse: Quodque pauci uno in sermone unquam præstiterunt, ut præclarè scriberent; id ab adolescente Bembo & in Latina, & in Italica, & in Græca oratione effici, omnibus, qui de iis studiis aliquid judicare possent, permirum videri necesse erat; præsertim id ipsum in triplici lingua, & prosa & versibus; id quod Cicero nem ipsum expertum, sunt, qui negent, assequi potuisse.

Post Siciliensem illam peregrinationem nonnullis interjectis annis, Ferrariam Bembo pater Prodominus missus est (eum Magistratum, magnum in primis atque honorificum illis temporibus, Veneti virtute belli partum, victoriæque tantum insigne gerebant in aliena civitate) eo quoque cum patre filius exiit. Ubi cum diutius moraretur, non modo ab omni juventute & nobilitate ob egregias animi dotes officiosissimè cultus fuit, sed & ipsi Herculi Estensi Ferrariensium Principi gratus in primis, acceptusque. Per idem tempus, annos natus haud amplius 26. eos sermones, qui

*Græcè scribit.*

*Miraculum fit scientiæ.*

*Ferrariam venit.*

*Afulani* ab eo inscripti sunt, confecit; opus omnium pigmentorum flore, atque colore distinctum, sed minùs verecundum, quòd fæminas cum adolescentibus de amore loquentes minori, quàm honestas exigit, cautelâ introducat; æssimatum tamen totâ Italiâ ob orationis nitorem & ubertatem, copiâque sententiarum passim intermixtarum. Patrio idiomate hoc opus conscripsit.

Erat per id tempus Urbini Dux Guidobaldus Feltrius, vir spectatissimæ virtutis & nobilitatis, junctus matrimonio Elisabethæ Gonzagæ Mantuani Ducis sorori, de cujus mulieris laudibus miræ quædam literarum monumentis cum ab aliis multis, tum ab ipso etiam Bembo mandatâ fuere. His Bembus ut primùm ex fama innotuit, mox Urbinum accitus, præcipuo honore inter omnes aulicos haberi cœptus est. Multa enim in Bembo elucebant, quæ ad hominum animos conciliandos, cicurandósque plurimùm valere consueverunt. Nam & in forma corporis quædam oris species ac dignitas inerat, & in statura ac proceritate decor; mira præterea in moribus suavitas, lenitâsque amabilis, dulcísque tum sermo, tum tota vitæ victúsque consuetudo mitis ac clemens. Ad ea cum præclara ingenii vis ac natura accederet, expetebatur scilicet unus omnium maximè ab illustri illo virorum ac mulierum coetu aulico. Quo fiebat, ut multus domo abesset Bembus, Urbini que ferè viveret, ac patrios honores non solùm non ambire, sed propè spernere videretur. Id indignè ferens pater, non semel filium tanquam honoris incurium reprehendit: volebat enim, ut rempublicam capefferet, atque ex ordine magistratus gereret, ad eumque denique cursum, quem ipse pater tenuerat, intenderet. Ille contrâ cum alia spatia, cursúsque animo agitare, quamquam patri obsequi suadebat pietas, civium consuetudo hortabatur, propinqui ac necessarii efflagitabant, nihil motus in proposito permanfit, libertatem (vicio Juvenum) omni dignitati atque honori præponens.

Inter hæc Joannes Medices Cardinalis, anno salutis 1513. summus Pontifex sub Leonis X. nomine salutatur. Mos & consuetudo Romanorum Pontificum est, ut si quid publicæ privatæque rei incidat, quod secretò per literas agi oporteat, si quando aut Regibus, aut civitatibus respondendum, aut si quid postulandum ab iis sit, si quid denique majoris negotii implicitum cum aliquo est, id quasi per familiares epistolas transigant, eas literas cerâ obfignant; nam publicis decretis aut diplomatibus in plumbo signum est. Earum literarum scribendarum negotium datur hominibus ob scribendi prudentiam atque elegantiam eruditissimis, ob muneris locique dignitatem gravissimis, atque honestissimis, ob rerum autem pondus ac magnitudinem summa fide, summâque probitate præditis: li magna cura, magna sollicitudine, atque diligentia conquiruntur, magnis item præmiis ac sponsonibus evocantur. Eum morem cum Leo perspicacissimus vehementer probaret, atque etiam ad dignitatem pertinere arbitraretur, sine ulla cunctatione Bembum totâ Italiâ ob eruditionem & virtutem decantatissimum accersiri, eique muneri, negotioque præfici jubet.

Evo-

Urbinum  
accitur.Præficitur  
Bembo  
scribendis  
Literis Pontificis.

Evocatus igitur tanta dignitate Romam Bembus, eoque proficiscitur, annos tum natus tres & quadraginta; præponiturque epistolis Pontificis Maximi nomine scribendis, eoque in munere gerendo datur illi socius, ac tanquam collega Jacobus Sadoletus, qui postea (uti n. 22. ostendimus) Cardinalis factus est. Scripsit eorum uterque epistolas tales, quales ab elegantia, latinitate, & sententiarum gravitate eruditi quique vel hodie admirantur. Cum Itaque Pontifici, Bembus homini nec natura hebeti, nec in scribendo rudi, cumulatissimè satisfaceret, magno ab eo honore afficiebatur: Tantum porrò in illum suæ liberalitatis Leo contulit, ut qui Romam pauper tandem venisset, Pontificis planè beneficentia dives sit factus. Inter alia Prioratum Bononiensem Militum Hierosolymitanorum, & Canonicatum Ecclesiæ Patavinæ obtinuit, Prioratum tamen alii non à Leone, sed à Julio II. precibus Ducis Urbinatis habuisse volunt.

*Promovetur ad dignitates Ecclesiasticas.*

*Mores illius temporis.*

*Ceterum fuit ætas, tempusque illud humanitatis, suavitate nimis propè perfusum (sunt verba Joannis Casæ in vita Bembi) ut delectationum multarum studia sæculi illius licentia, propemodum omnium permissu, concessa essent; nec enim ne voluptatum quidem blandimenta nimium severe aspernabantur, sed multa ad oblectationem, multa ad ludum data erant cujusque ordinis, cujusque ætatis, aut sexus hominibus. Nec Religioni habebatur, honestos gravesque viros in hortis visos esse, aut liberiori in convivio, Symphonia cum caneret, mulieres accumberent, interfuisse. In ea igitur morum, sæculique licentia, eximiâ formâ mulier non infimi nominis petulantius Bembum ad amorem perpulisse dicitur; neque diu resistantem continere eum se à lapsu potuisse, præsertim qui nullis dum sacris initiatus esset. Tenuit ea consuetudo irretitum illecebris Bembum annis minimum quatuor, sic ut liberos tres ex amasia suscepit, Lucillum scilicet, Torquatum, & Helenam Bembam, faminam lectissimam, quæ protractu temporis primæ nobilitatis adolescenti Veneto Petro Gradenigo nuptui data est. Lucillus verò & Torquatus patris vestigia secuti, literis & eruditione clari evasere. Sic ut lapsus Bembi, fructu bonæ sobolis subsecutæ non nihil compensatus videri possit: planèque suis etiam lacrymis serio in pœnitudinem profusis dilutus.*

Nec verò in literis modò scribendis Bembi fidem, atque eruditionem Leo periclitatus est, sed etiam in rebus agendis hominis prudentiam, solertiâque plurimùm adamavit. Itaque cum conspirare adversus Galliæ Regem cum Cæsare Maximiliano, atque Hispaniæ Rege (ita reipublicæ commodo & necessitate exigente) cogitaret: Misit de ea re Bembum ad Venetorum Senatum, qui eos magnoperè hortaretur, uti à Gallorum amicitia, cum quibus consenserant, discederent; ac sese cum Pontifice, Cæsare, Hispano, reliquisque confederatis Principibus societate jungerent. Habita est à Bembo in Venetorum Senatu eo de fœdere oratio gravis sanè, atque vehemens: Quâ Itali, teste Sansovino in historia Veneta, nihil tersius, gravius, atque ornatius audivisse aut legisse se palàm professi sunt. Functus ea legatione ad votum Pontificis Bembus, rediit ad antiquum suum literarum munus. Verùm cum

*Bembus perorat ad Venetos.*

cùm tenui admodùm valetudine, atque imbecilla esset; nec non noctu multis lucubrationibus, magnisque vigiliis scribere necesse haberet (nam interdum, cùm à Pontificis latere discedere vestigium vix *Fit eger.* liceret, etiam multi audiendi, salutandi, deducendi, honestandique, ut Romanus mos ferebat, essent, relinquebatur otii nihil) gravem, diuturnumque in morbum incidit, ex quo cùm ægrè ac difficulter convalesceret, nec recreari, reficique posse videretur, de medicorum consilio, ipsiusque Pontificis hortatu, aëris mutandi causâ Patavium petiit; atque eo anno, qui fuit Christi 1521. Leo veneno petitus, ut quidam suspicati sunt, extinguitur. Incredibile dictu est, quanta animi alacritate, quantaque lætitia Romanis laboribus, curisque liberatus, longâ sanè annorum novem ipsorum intermissione factâ, optatum ad otium, studiùmque suum vetus sese Bem- *Convalescit. & resumpt scribendi otium.* bus receperit; nullum ut Urbis, urbanarumque rerum, aut deliciarum desiderium in eo resedisse liquido appareret.

Vixerat in dulci illo literarum otio Patavii ab omni cura negotiorumque strepitu semotus annos minimùm tredecim, cùm ecce inopinato quodam casu clementem illam vitam, adamatamque quietem, ætate jam ad occasum inclinante, invitus licet, mittere compellitur. Erat Romæ temporibus illis vir summus atque clarissimus, singulari prudentia, admirabili animi magnitudine præditus Alexander Cardinalis Farnesius, qui sub annum 1534. Clementi VII. subrogatus, dicitur fuisse Paulus III. Hic in ipso suscepti Pontificatus exordio, ut initium actionumque suarum ab illustri aliqua laude duceret, omninò faciendum sibi existimavit, ut qui quacunque in civitate, quibusque in terris homines essent insigni quadam aut pietatis, aut prudentiæ, aut doctrinæ laude celebres, illos ultrò ipse, non requisitos aut rei conscios, in amplissimum Cardinalium Collegium cooptaret. Itaque semel atque iterum magnâ curâ, magnaque adhibitâ diligentia summos viros pervestigavit atque delegit, quibus gravissimam illam dignitatem, nimio à plerisque studio & opere sæpè frustra expetitam, ultrò deferret. Quo facto sperabat non modò nominis sui famam, sed & Pontificatus ipsius, sacrique Senatûs majestatem vehementer auctum iri. Ergo sollicitè Paulo circumspicienti, quos præstanti doctrinâ & pietate viros in Sacrosanctum Senatum legeret, in primis occurrit Bembo virtute & eruditione conspicuus, qui tunc temporis suorum causâ negotiorum Venetiis erat. Mittitur ad eum Pauli nomine Octavianus Zeno Pontificius cubicularius cum diplomate, ac reliquis Cardinalitæ dignitatis insigniis, diciturque Diaconus Cardinalis S. Cyriaci in Thermis. *Demerit. tur Cardis.* Ea res ut aliis fortassè non injucunda evenerit, certè Bembo ab omni tum ambitione alieno perquam gravis, multumque incommoda cecidit, quòd ex suo otio, suaque dulci illa solitudine erutus, rursus in eam turbam, molestiamque senex raperetur, à qua vixdum inclinata ætate, sese tandem cupidissime vindicasset. Igitur modis omnibus oblatum honorem deprecari, recusare, planèque à se constanter amovere; magnas tamen tum Pontifici Maximo, tum sacro Collegio gratias habere, ac dicere, quòd senectutem suam honorificentissimo de se iudicio,

clarissimoque decreto tantoperè honestatam voluissent. Itaque cum in eo proposito multos jam dies obfirmato animo perseveraret, neque ulla arte de sententia depelli posse videretur, Zeno hominis constantiam, animique magnitudinem admiratus, re infecta Romam revertitur.

*Cardinalis dignitati relaxatur.*

Famâ hac, ut fieri amat, in vulgus sparsâ, accurrunt undique ad Bembum amici, necessarii, propinqui; agunt, hortantur, obsecrant; si suâ ipse gloriâ minus moveatur, gentis saltem, ac posteritatis memoriam noménque respiciat, ac tantam dignitatem in domum suam illatam ne temerè ipse abjudicet. Parùm primò Bembus eorum moveri oratione, utpotè qui eadem sæpè numero audisset, jamque olim propè omnia refutasset. Ubi verò ad eum Petrus Landus adiit, qui civitatis haud multò post Princeps fuit; isque longa atque accurata oratione usus, tergiversanti etiânum ostenderet, quantum ea re subiturus esset offensionis atque invidiæ, quàm indignè Pontificem maximum, quàm graviter amplissimum Purpuratorum Ordinem eam ignominiam ferre necesse esset; cumque adderet, nunquam hæc sine nutu, atque consilio divino accidere sole-re; diligenter videret, ne dum hominibus refragaretur, ipsi Deo vocanti se, reluctetur; tum enim verò animo sanè suspensò ac perturbato hominem Bembus dimittit in præsentia; rem in diem posterum differt: & quoniam religionem sibi injecisset, diligentius deliberaturum sese pollicetur. Postridie ejus diei cum res illi in religionem planè venisset, (fuit enim non versuta hac, atque ad hominum opiniones captandas simulatâ, quam in multis videmus, rugis supercilioque horridam, tristitiâ; sed verè, atque ex animo pietatis colentissimus) consilium à Deo petiturus, proximum Templum manè ingressus est. Erat tum fortè Sacerdos ad aram, atque Historiam de iis, quæ à Christo dicta, aut gesta in terris sunt (quod Evangelium appellamus) clara voce, ut mos sacrificium offerentibus est, effari incœperat. Vixdum pedem in Templum attulerat Bembus, ac Sacerdos, *Petre, ait, sequere me*: ea verò illi vox, Dei propè ipsius ore mitti visa: itaque cum omnè ex animo dubitationem sustulisset, quasi Dei accitum Romam proficisci statuit. Magnus fit in domum ejus omnium hominum, atque ordinum concursus; frequens gratulatio; maximus totius civitatis plausus. Ille verò paucis post diebus silvas, recessusque suos, in quibus pacatam, tranquillamque inter studia & lucubrationes, vitam exegisset, crebrò appellans, atque identidem respectans, Romam subtristis perrexit. *Verè hoc dicere possum* (inquit hoc loco Joannes Casa) *sic homini hinc discessu hilaritatem prorsus excussam, ut ejus pristinam jucunditatem, suavitatēque amici, familiaresque ex illa die desideraverint, atque in omne deinceps tempus amissam doluerint.*

*Bembi dicendi sententiam libertas.*

Cultus est Romæ Bembus cum à bonis plerisque omnibus Contarino, Sadoletto, Cortesio, Morono Cardinalibus amplissimis, atque doctissimis, tum verò à Reginaldo Polo quammaximè: is enim præclaras animi ejus dotes, doctrinam, virtutem, ingenium, prudentiam admiratus, Bembum quasi hominem divinitus missum ardentissimè ad-amavit. Sed cum diligentissimè coleretur à multis, summo etiam honore à Paulo Pontifice afficiebatur: quin & tantâ apud eum gratiâ fuisse memoratur, ut nullam unquam rem ab eo postulaverit, quam

non

non protinus obtinuerit. Tum ea erat Bembi in dicenda sententia libertas, ea simplicitas, eaque in omni vita clementia, atque ingenuitas, ut si ante eum Paulus mortem obiisset (quod natura postulare in decrepito & octogenario sene videbatur) creatum iri eum Pontificem Maximum plerique compertum haberent.

Verum fatis alia decernentibus, cum equo forte Bembus incautior veheretur, leviter in ostio ad parietem latus offendit, qua ex plaga homo senex ac debilis in febriculam incidit; atque ex ea in dies invalescente, cum sensim extenuari, conficique sese intelligeret, atque etiam mortem nulla lege evitabilem multos dies quasi praestolatus esset, animo non modo forti, sed etiam aequo, ut de sua migratione cum amicis interdum etiam jocaretur, diem suum pie, *Ejus mors,* sancteque & expiatus obiit Decimo quinto Kalendas Februarii, anno Christi 1547. aetatis 77. Hominem & funus Viri quique doctissimi non sine lacrymis & desiderio celebrarunt, ut paulo mox visuri fumus. Funeratus jacet in Ecclesia S. Mariae super Minervam inter Leonis X. & Clementis VII. monumenta cum hoc Epitaphio à Torquato Bembo Filio apposito.

PETRO BEMBO PATRICIO VENETO

OB EJUS SINGULARES VIRTUTES

A PAULO III. P. M. IN SACRUM COLLEGIUM COOPTATO  
TORQUATUS BEMBUS POSUIT.

OBIIT XV. KALEND. FEBR. M. D. XLVII.

VIXIT ANNOS LXXVI. MENSES VIII. DIES XVIII.

*Hic BEMBUS jacet, Aonidum laus maxima Phæbi,  
Cum Sole & Luna vix periturus honos.*

*Hic & fama jaces, spes & suprema galeri,  
Quam non ulla queat restituisse dies.*

*Hic jacet exemplar vite omni fraude carentis,  
Summa jacet, summâ hic cum pietate fides.*

Alii eidem Bembo tumulum inscripsere: inter quos Augustinus Beatianus primum locum; Franciscus Suvertius secundum; Hippolytus Calilupus tertium tenet. Reliquos brevitatis causa omitto, requirendos apud Jacobum Gaddum, Ciaconium, & Oldoinum,

AUGUSTINI BEATIANI.

*Bembe jaces! tecumque jacet, qua prima canendi est  
Gloria, ad extremos non reticenda dies.*

*Bembe jaces! tecumque jacent cœlestibus aprè  
Mores, quos posthac secula nulla ferant.*

*Bembe jaces! tecumque jacet sincera voluntas;  
Et, qui nos prohibet dicere falsa, pudor.*

*Bembe jaces! animique jacet laudabile tecum  
Quidquid habet Latium, Græcia quidquid habet.*

FRANCISCI SUVERTII.

*Hic situs est Bembus! satis hoc, nam cætera clarent,  
Quo se cunque decus protulit eloquii.*

*Auratâ, Pariâque alij conduntur in urnâ;  
Sunt hominum Bembo pectora Sarcophagus.*

*Encomia  
funeraria  
Bembo po-  
sita.*

## HIPPOLYTI CALILUPI.

*Adria Bembe tibi patria est, & Roma sepulchrum,*

*Imperat hæc Terris, imperat illa Mari.*

*Egregiè & lingua Tusca, Latiâque locutus;*

*Non hac, non illâ dulciùs ulla sonat:*

*Sunt testes Musæ Tusca, Musæq; Latina,*

*Magnanimùm Venetùm testis & Historia.*

*Nobiliore solo haud poterat nasci, nec obire;*

*Nec poterat linguâ candidiore loqui.*

*Hinc Nympha inscribunt tumulo hoc miserabile carmen:*

## MORS RAPUIT BEMBUM DELITIAS HOMINUM.

*Ejus imago.*

Fuit autem Bembus, teste Oldoino & aliis, frontis serenitate venerabilis; orisque configuratione protensa valdè, sed ingenua placiditate spectabilis; oculis vividis & acutis; naso comiter aquilino; barbâ promissa & ad pectus usque graviter expansa; ingenio porro acri maximèque perspicaci; iudicio prompto & acuto, prudentia & comitate admirabili.

*Ejus scripta.*

Scriptit Latinâ linguâ Historiam Venetam libris duodecim digestam, argumenti amplitudine & styli nitore spectabilem.

De Imitatione Sermonis, librum unum ad Joannem Picum.

Poëma Heroicum, quod *Benacus* nominavit.

Epistolarum Leonis X. nomine scriptarum libros sexdecim.

Epistolarum familiarium libros sex.

De Ætna Dialogum.

De Culice Virgiliti.

De Guidobaldo Feltrio & Elifabetha Gonzaga Urbini Ducibus lib. unum.

Castigationes in aliquot loca Terentii.

Epistolas selectas ad Longævum.

Hymnum ad S. Stephanum.

Pro Goritio votum ad Sanctos, quibus ædiculâ ædificaverat.

Julii II. Pontificatum carmine descriptum.

Poëma venustum *Galathea* dictum.

Item aliud ad Melinum.

Et aliud ad Nymphas, tum etiam ad Faunum.

Longolii, Leonici, & Sannazarii Epitaphia.

Scriptit patrio Idiomate *Afolanos* opus amœnum.

De ratione Tuscè loquendi libros tres Dialogicè.

Literarum volumina plura, quorum primum continet Epistolas ad Summos Pontifices, Cardinales, & viros Ecclesiasticos datas: secundum ad primarias mulieres: tertium ad Principes: quartum ad varios promiscui sexûs.

*A quibus celebratur?*

Sunt etiam Epistolæ familiares ad Matthæum Bembum nepotem datæ.

Celebratur passim à primæ notæ Scriptoribus, ut videre est apud Gaddum, Oldoinum, aliòsque; & merito quidem: nam meretur magnas laudes ob multiplex eloquentiæ genus; ob variâ & complura opera

opera eruditè scripta; ob literarum politionem numeris omnibus absolutam. Quibus ornamentis ita excelluit, ut nullis cederet, pluribus antefaret. Atque utinam multos similes semper haberet Senatus Purpuratorum.

*Agunt de eo Franciscus Sansovinus in vita. Antonius Sanderus in elogiis Cardin. Contelarius in Elencho Cardinal. Joannes Casa in vita. Henricus Albi in elogiis Cardinal. Spondanus in Annal. Eccles. Aubery in vita. Jacobus Gaddius de Script. non Ecclesiast. Mutius Pansa in Bibliotheca Vaticana. Petrus Justinanus in Hist. Veneta. Ludovicus Beccatellus in vita. Morerius in Dict. Hist. Jacobus Hoffmannus in Lex. Hist. & alii plurimi.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

**PETRO PAULO PARISIO**  
S. R. E. CARDINALE.

**P**ETRUS Paulus Parisius, natione Italus, patria Consentinus, LIV. utriusque Juris interpret celeberrimus (publicè enim, nec sine plausu cum Patavii, tum Bononiæ utrumque Jus interpretatus est) ex Auditore Cameræ Apostolicæ die 12. Decembris anni 1539. à Paulo III. renunciatur Cardinalis titulo S. Balbinæ. Rexit Episcopus Nuscanam, & Anglonensem Ecclesias in regno Neapolitano. Legationis munere functus est unà cum Marcello Cervino Cardinali sanctæ Crucis apud Carolum V. Imperatorem Genuæ tum agentem; & in Concilio Tridentino unà cum Cardinalibus Morono & Polo. Post legationem, signandis Gratia libellis Apostolico favore præfectus, è vita excessit Romæ nonâ Maij anno redemptionis humanæ 1545. sepultus ad S. Mariam Angelorum: cujus virtutes, & amplissimas animi dotes recenset hæc ad ejus marmoreum tumulum apposita inscriptio.

D. O. M.

PETRO PAULO PARISIO CONSENTINO

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI:

*Qui ob celebrem Jurisprudentia famam in nobilissimis Italia Cathedris spectatam à Paulo III. P. M. Bononiâ. Romam accitus, Apostolica primùm Cameræ Auditor creatus, mox in amplissimum Ordinem adscriptus, signandisque Gratia libellis præpositus, sacri tandem Concilii Tridentini Legatus & Præses electus, ut vivens ætati suæ, Christianaque Reipublicæ, præsentis consilio atque virtute, ita post mortem præclarissimis editis ingenii atque doctrina monumentis plurimum posteritati profuit.*

*Obiit V. Idus Maij Anno salutis M. D. XXXV. Ætatis LXXII. Flaminius Parisius Episcopus Bituntinus Gentilis*

CC CC 3

*Inscripção sepulchri*

*siq*

*sui studiorum & gloria amulus, Patrie & familie orna-  
mento fieri Testamento mandavit, qui vixit annos XL.*

*Fabritius Gajeta, & Prosper Parisius Executores Testa-  
menti curarunt Anno M. DC. IV.*

*Corpus humo tegitur; Fama per ora volat;  
Spiritus Astra tenet.*

Encomium  
Illius à præ-  
stantissimis  
viris.

Ingenium tanti viri naturam, liberalem doctrinam, tempe-  
rantiam singularem, ingenii præstantiam, & vitæ probitatem Sado-  
letus & Bembo eximii laudibus celebrarunt.

Ejus scripta,

Scriptit Consiliorum Volumina quatuor.

In Decretales commentaria.

In 4. Juris Civilis libros lectiones.

Et alia quædam.

*Celebratur ab Hieronymo Marafoto in Descript. Calabriae. à Contelorio in Elencho Car-  
dinal. Ab Antonio Sanderio in elog. Cardin. Ab Auberio in vita. A Sfortia Pallavicini-  
no in Hist. Concilii Tridentini. A Panvinio de Rom. Pontif. A Moretio in Dictionar.  
Histor. & alii.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

**FEDERICO FREGOSIO**

S. R. E. CARDINALE.

LV.

Fregosius  
quis.

**F**EDERICUS Fregosius, seu Fulgosius, natione Italus, patria  
Genuensis, Augustini Fregosii ex Gentili Montefeltria Guido-  
baldi Urbini Ducis sorore filius, & frater uterinus Octaviani  
Fregosii Genuæ Principis, ob insignes generis natales, & præ-  
stantes eruditi animi dotes à Julio II. primùm Archiepiscopali infu-  
lâ Salernitanâ, deinde Eugubinâ ornatus est. Hic quod Gallica-  
rum partium sectator esset, à Cæsare hostis declaratus, annuo cen-  
su Archiepiscopatus Salernitani, edicto prohibitus & exactus est.

Cùm autem Octavianus frater Francisco I. Gallia Regi qui-  
busdam honestis conditionibus adhæsisset ( quarum hæc potiores fu-  
êre; ut perpetuus esset Genuensis dominii pro ipso Francisco Pro-  
rex, ac Ordinis S. Michaëlis torque donaretur; & ibi casu belli,  
dominatu excideret, vel à patria pulsus extorris fieret, totidem ca-  
stra & possessiones in Provincia à Rege potiretur; Federicus verò  
frater quædam in Gallia beneficia Ecclesiastica vice versa accipe-  
ret) Federicus relictâ Romanâ Curiâ, ut Octaviano fratri in Reipu-  
blicæ administratione, vicariâ operâ opem ferret, Genuam se con-  
tulit: Ubi urbi illius quieti, ac tutelæ invigilans, Piratas oram Li-  
guriæ maritimam devastantes, & pecuniæ, segetum, pecorum, ac  
hominum prædam agentes, viginti navium classe adortus feliciter  
profligavit; ac pro Religione & patria fortiter pugnans, ductor  
maritimi exercitus à Pontifice constitutus, egregiam reportavit  
victoriam.

Genuam se  
confert.

An-

Anno salutis 1522. Genuæ unâ cum fratre Octaviano à Cæsarianis obsessus, nunquam se ipsis dedere voluit, nisi postquam Gallorum auxilium desperatum cognovisset. Urbe Genuensi ab Hispanis & Germanis repente captâ, militibusque ferro ac cæde cuncta replentibus, & per urbis compita hostili more vagantibus & furentibus, Federicus, capto jam fratre Octaviano, fugâ salutem quærens, dum ad portum, in quo erant amicæ Gallorum naves, vario errore incognitus delaberetur, ac lembo usus Gallicam triremem ascendere pararet, lubricante vestigio pede lapsus in mare decidit; è quo probè potus semianimis nautarum ope extractus, ac in ora suspensus, haustam denique aquam egressit. Ubi convaluit, in Galliam concedens, magno apud Galliæ Regem in honore fuit; à quo in præmium servatæ fidei, S. Benigni Burgundiorum Apostoli cœnobium (quod est Divione inter alia Galliæ monasteria antiquitate, censu, amplitudine, ac Religione præcipuum) omnium primus gubernandum suscepit, cum antea per Abbates in titulum regeretur.

Ibi constitutus, humanos castus, fallacésque hujus vitæ fluxæ & caducæ spes secum reputans, mente divinitus admonitâ, rationeque vitæ mutatâ, fastui & ambitioni sese subtraxit, à civilibusque muneribus & contentionibus procul abscedens, se divino cultui sacrarum literarum studiis, & rerum cælestium contemplationi simul ac cœmentationi totum addixit. Transactis hoc modo nonnullis annis, zelo animarum exæstuans, Eugubium ad pascendum sibi commissum gregem concessit, in quo regendo ita omnes diligentia, continentia, pietatis, liberalitatis in egentium sublevanda inopia partes complevit, ut lucidissima virtus ejus, religio summæ doctrinæ conjuncta, totum propè orbem pervagata, ipsis adversariis nostræ Religionis non modo summæ admirationi fuerit, ansamque dederit miris eum laudibus extollendi, sed & eum inter perpaucos illos connumerandi, quos solos Episcoporum nomine dignos censerent. *Quæ laus ab invitis præsertim, & sacerdotalis Ordinis perpetuis obrectatoribus expressa, quanta sit, facile inselliges, qui cogitaverit, quantum sit Episcopis impositum onus, cuiusque muneris colendi causâ sit institutus Episcopus, ut inquit Ubertus Folieta in elogio Federici.*

Præclarâ itaque Federici famâ permotus Paulus III. Pontifex Max. qui viros singulari virtute præditos toto orbe venabatur, quos in sacrum Collegium coöptaret, ipsum absentem, nihilque minùs quam purpuram somniantem aut optantem Presbyteris Cardinalibus titulo Pammachij die 12. Decembris anno 1539. adscripsit. Ille verò jam dudum mundo mortuus, ac Christo cruci confixus, res humanas omnes fastidians, ad sacram purpuram recipiendam adigi minimè potuit, nisi summi Ecclesiæ Præsidis mandato, ac sacri fulminis interminatione: Quemadmodum laudatus Folieta his verbis refert; *Nec minùs continentia, animique omnem fastum contemnens signum expressit in Cardinalatùs honore ultro delato recusando, quem retractans ac gemens accepit, Paulo III. pro imperio, ac pro jure sacrosanctæ potestatis cum illo agente, pœnasque in contumaces, & dicto non audientes statutas comminante.* Jubenti ergo Pontifici pœnasque intentanti,

morem, ut par erat, gerens, humeros non sine lachrymis oneri sup-  
 posuit, Romamque contendit. Verum cum multa ibi offendisset,  
 quæ minus illum delectarent, ipseque libertatem suam in senten-  
 tia dicenda cum officio ac pietate conjunctam non satis placere  
 intelligeret, iterum relicta aulâ (annuente Pontifice) Eugubium  
 ad privatam Ecclesiam reversus, antea actæ vitæ cursum digno fan-  
 ctioque exitu conclusit die 22. Julii anni 1541. funeratus ibidem  
 publico mœnore. Grata deinde Civitas Eugubina, memorque ac-  
 ceptorum ab eo beneficiorum, tantæ nobilitatis ac pietatis Præfuli  
 Mausoleum erexit è marmore, cum superposita illius effigie, quæ  
 spirantis ore vultum referret. Laudatus fuit in funere ab incom-  
 parabili Oratore Jacobo Sadoletto S. R. E. Cardinale oratione pla-  
 nè virili, ac tanto Principe digna, quam refert in additionibus ad  
 Ciaconium Augustinus Oldoinus S. J. Inter plurima verò Federici  
 elogia memoratus Sadoletus hæc habet in citata funebri orati-  
 one:

Laudatur à  
 Sadoletto.

*Federicus nihil omnino sui præter corpus amisit, quod & suapte natu-  
 ra mortale est, & fragile, & in illo morbis, & articularum doloribus val-  
 de erat infestum: Præclara quidem illa, atque divina, quæ splendebant in  
 eo, virtutis, doctrina, justitiæ, Religionis, misericordiæ in pauperes, in De-  
 um summa & singularis pietatis ornamenta, in quibus ipse totum sese collo-  
 carerat, ex quibus semetipsum censebat, atque expendebat, & ab omnibus  
 pendebatur; neque mortua sunt illo ex hac mortali vita abeunte, neque  
 mori possunt. Quidquid enim DEO acceptum est & gratum, nihil in eo ju-  
 ris habere mors potest. Ille verò cum in hac vita viveret, tanquam cele-  
 stis in terra civis, cum in omnibus suis consiliis atque factis nihil medi-  
 taretur, nihil præ oculis mentis haberet, nisi calum, atque Deum, non mor-  
 tuus esse, cum ad eum ipsum, quem totis visceribus cupiebat, accesserit;  
 sed nunc demum vivere verè cepisse est existimandus. Neque verò nos  
 sentire aliter possumus: Quid enim est ex eo, quod mortuum possit dici? Num  
 virtus, pietas, Religio, sapientia? At ista sunt maxime, quæ immortalem vitam  
 faciunt; quæ, si mori ipsa possent, nihil omnino esset in omni natura rerum  
 non caducum & mortale. An mens ejus, & sermo, & incredibilis in eo Græ-  
 carum, Latinarum, Hebræarumque literarum scientia, quæ vivit in scriptis,  
 & victura est? plura enim ille confecit sui quidem præstantis ingenii, sed  
 multò magis pietatis & Religionis monumenta, ex quibus nos multa legimus,  
 & quibus ad immortalem vitam erudimur. Hæc certè ut nulla ætate in-  
 zeribunt, sic nec mori possunt. Hæc & his similia plura Sadoletus. E-  
 jusdem pariter laudes præclaro elogio complexus est Ubertus Fo-  
 lieta in Encomiis clarorum Ligurum. Ubi eum appellat Virum  
 multiplici eruditione & virtute præstantem; & salem, cui similes per pau-  
 cos nostra aspexerit ætas.*

Ejus scripta.

Scriptis, referente Oldoino, de modo orandi.  
 Meditationes uberrimas in Psalmos, 30. 45. & 100.  
 Orationem ad Januenses.  
 Epistolas varias ad varios.  
 Carmen sacro-profanum ad Octavianum fratrem.  
 Et alia plura.

Agunt

Agunt de eo *Jacobus Sadoletus in Orat. funebri. Ubertus Folieta in Elogiis claror. Ligurum, Paulus Jovius in Ferdinando Davalos. Aubery in vita. Guicciardinus in Hist. Italiae. Contelorius in Elencho Cardin. Surius in Comment. Ughellius in Italia sacra. Morerius in Dict. Hist. Spondanus in Annal. & alii.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

**BARTHOLOMÆO GUIDIC-  
CIONO  
S. R. E. CARDINALE.**

**B**ARTHOLOMÆUS Guidiccionus, natione Italus, patria Lucensis, anno salutis 1469. antiqua & nobili gente Guidicciona Lucæ, quæ est Hetruriæ civitas clarissima, natus, generis sui splendorem virtutibus æquavit & auxit. A pueritia namque ad ætatem usque adultam, parentum curâ, liberalibus disciplinis, ac pietatis studiis excultus, emensoque Philosophiæ, Theologiæ, ac Jurisprudentiæ curriculo Roman se contulit: ubi ejus doctrinâ, pietate, ac vitæ integritate à summis viris cognitâ, præsertim ab Alexandro Cardinale Farnesio (qui postea ad Petri solium evectus, dictus est Paulus III.) ab eo in familiam suam adscriptus est: in qua cum diu sanctissimè vixisset, ab ipso Piceni generalis Auditor; Farnensis Abbatix Rector; mox & Parmensis Episcopatus Vicarius Generalis declaratus est. Quæ munera cum ipse singulari justitiæ, prudentiæ, & incorruptæ mentis laude impleisset, tranquillioris vitæ studio cum bona ipsius Alexandri venia in patriam se recepit, ut ibi abditus in paterna villa procul negotiis, & fori aulæque strepitu, otio suavissimo Musas excoleret, ac obsequiis divinis, & cœlestium rerum contemplationi totus incumberet, quo in secessu, ac solitudine (quam *fructiferam* Annibal Carus appellat) permulta doctissimè commentatus est.

Interea Alexander Farnesius renunciatus Romanus Pontifex, Guidiccionum per literas, ut ad se veniret, illico invitavit. Renuit ille semel, iterumque, ac tertio: denique summo imperio coactus, cum nullus excusationi locus daretur, Pontifici se stitit: à quo perquam benignè exceptus, mox Romanæ Curix Datarius; deinde Episcopus Aprutinus; ac anno 1539. Presbyter Cardinalis S. Priscæ, pauloque post Signaturæ Gratix Præfectus, Major Pœnitentiarius, Romanæ Rotæ Reformator, ac demum Lucensis Antistes delaratus est. Quæ quidem omnia unius ferè anni circulo consecutus est. Nec fuit ullum alicujus momenti in Romana Curia negotium, quod ejus consilio & operâ confectum non fuerit. Nam & cum de celebranda Oecumenica Synodo, Romæ tunc ageretur, peculiarisque ad id congregatio selectorum quinque Car-

LVI.

*Nobili, & perantiqua gente ortus traxit.*

*Cardinalis in post alias dignitates ornatur.*

dinalium à Pontifice decreta fuisset, inter quos Guidiccionus præcipuæ authoritatis erat: is Tridenti indicendum omnino suavit quò facilior Germanis Protestantibus, aliisque Transalpinis nationibus hæresis lue infectis pateret accessus; ejusdemque Concilii decreta expendit, quæ in hodiernum usque diem apud Guidiccionios ipsius manu descripta religiose asservantur.

Agebatur eodem tempore Romæ apud Paulum III. de Soc. Jesu recenter exorta, ab Apostolica Sede vel recipienda, vel toleranda, vel denique rejicienda. In quam quidem Pontifex satis propensus erat, utpote in cujus Regula ab Ignatio Institutore conscripta, ipsique ad approbandum oblata, manifeste *Digitum DEI* agnoverat. Attamen cum eam Apostolico diplomate roborari suppliciter petiisset Ignatius, Sapientissimus Pontifex, ne in re perpetua, ac tanti momenti quicquam præcipiti consilio statuisse videretur, eam totam tribus eruditissimis Cardinalibus examinandam commisit, inter quos ætate ac rerum experientia eminebat Guidiccionus; quem præterea sciebat introductioni novorum Ordinum Religiosorum, non modo non faventem, verum etiam ita infensum, ut adversus eorum copiam & varietatem, quos ad quatuor tantum revocandos in Ecclesia arbitrabatur, etiam commentarium scripserit. Unde non dubitabat, quin si à Guidicciono nova hæc esset probata religio, ea quoque cæteris delegatis Judicibus rata haberetur, hæcque ratione malevolorum ac maledicorum subtraheretur invidiæ & obtreptioni. Is igitur postquam annum ipsum deliberandi cunctatione, novis in dies difficultatibus ingerendis extraxisset, tandem sive divino instinctu, ut habet Spondanus, sive, ut scribit Ughellius, à S. Ignatio in somnis admonitus, adeo repente immutatus est animo, ut eam præ cæteris ardentius propugnandam susceperit, illamque gratis ac favoribus exornandam, decretisque Pontificiis muniendam censuerit; ac se à nemine, quàm à Numine ipso ad id motum palam passus fuerit.

*Admonitus  
in somno à  
S. Ignatio.  
Jesuitis fa-  
ver.*

Universæ Ecclesiæ negotiis detentus, annuente Pontifice, Lucensis Sponsæ suæ curam in Alexandrum Guidiccionum nepotem transfudit, postquam illam annos quatuor sanctissimè rexisset. Clusinam verò & Aprutinam Ecclesias opulentas (quod mirum fuisse scribit Petrus Paulus in Diariis) Pontifici ultro resignavit, ut liberiùs instans æternitatis iter aggrediretur. Nam paulò post, V. nimirum Kalendas Septembris, vel ut monumenta Vaticana habent, Pridie Nonas Novembris anni 1549. ex inusitato & inopinato lapsu (cum scilicet prospera utens valetudine, ad salutandum de more Pontificem venisset, ac talari sirmate purpureo Cardinalis S. Angeli præpeditus ac implicitus in terram corruisset) octogenarius è vita decessit. Optimi senis casum præter universam Urbem, & Curiam Romanam summopere luxit Paulus ipse Pontifex, conquerens, amicum se integerrimum, & successorem dignissimum amisisse. Ejus cadaver Lucam relatum, in Cathedrali Basilica multis à se muneribus exornata conditum est cum sequenti Epitaphio.

*Ejus obitus.*

## D. O. M.

Epitaphiū.

BARTHOLOMÆO GUIDICCIONO CARDINALI,  
 Et Prasuli Lucensi, Juris Utriusque Consulto, & Theolo-  
 gia perito: PAULO III. Pontif. Max. uti gratissimo, ita  
 multis magnisque rebus, & signandis Justitiæ & Gratiæ  
 libellis exercito: & cum quietæ studium vitæ, otiumque  
 appeteret, invitè ad purpuram evecto: gravi totius Cu-  
 ria damno, & mærore è medio sublato:

Nicolaus Guidiccionus nepos Patruo amantissimo.

Vixit annos LXXX. inter nos esse desit

V. Kalend. Septemb. Anno

M. D. XLIX.

Laudatur passim à sacris Scriptoribus, sed omnium maximè ab Eulogium.  
 Octaviano Vestrio in Praxi, cujus propria verba ad viri commen-  
 dationem non invitus refero: Bartholomæus Guidiccionus Pontificij Ju-  
 ris peritissimus, rerum usu & experientia præstans; ac adèd puræ sine-  
 ræq; mentis, ut cunctis, facilè summa probitatis simulacrum esse videret-  
 tur. Incertum fueritne sanctior, an eruditior, bonisque literis excul-  
 tior: cum præter opuscula innumera, & Epistolas aliquot multiplici do-  
 ctrinæ genere referatissimas, scripserit prægrandia viginti volumina de  
 utroque jure. In quibus adèd inanis auræ fumum non est aucupatus, ut  
 sibi uni, & Musis canens ea nusquam ediderit: unde quadam ex illis pe-  
 rière: alia nuper reperta sunt in abstruso loco, nulli prius animadverso.  
 Neque aliud opum genus, potiorésque thesauros propinquis suis Testamento  
 reliquit, præter illos ingenii sui partus, & virtutum præstantissimarum  
 exempla, quibus genus suum illustravit, noménque immortalitati conse-  
 cravit.

Scripsit præter plurima minutiora variæ eruditionis & argu-  
 menti Opuscula, viginti in utroque Jure volumina, valdè pingua Scripta.  
 & vastæ molis, quæ, teste Oldoino, modò Romæ in Bibliotheca  
 Vaticana asservantur.

Epistolas item plures doctissimas ad varios.

Carmen elegiacum de laudibus Villæ ad Joannem nepo-  
 tem.

De vitæ hujus caducitate Tractatum.

Ejus mentionem faciunt Octavianus Vestrius in Praxi, Ughellius in Italia sacra. Conte-  
 lorius in Elencho Cardin. Aubery in vita. Nicolaus Orlandinus in Histor. Soc. JESU.  
 Petrus Ribadeneira in vita S. Ignatii, Panvinius de Rom. Pontif. Ludovicus Morerius  
 in Dict. Histor. & alii.

ANNO 1534.

SEDATE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## DIONYSIO LAURERIO

S. R. E. CARDINALE.

LVII.  
Laurerius  
quis?

**D**IONYSIUS Laurerius, Italus Beneventanus, vir, si generis originem spectes, obscurus; si virtutes, eruditionem, & animi dotes, clarissimus. Is ob egregiam indolem, excellensque ingenium à puero inter Servitas Beneventi cooptatus, adeò felices in omni scientia & arte fecit progressus, ut vixdum trigessimum ætatis annum attingens, Perusii, Bononiæ, ac Romæ Philosophiam, Mathematicam, ac Theologiam pluribus annis summâ omnium admiratione sit interpretatus; atque in primariis Italiæ urbibus, Romæ præsertim ac Neapoli, disertissimi oratoris Ecclesiastici munere cum laude publica sit functus. *Vir prudens in agendo; ut Oldoinus loquitur, eloquens in dicendo; sapiens in differendo.*

Ordinis Ser-  
vitarum  
Procurator  
Generalis.

Ordinis sui Procurator generalis electus, Regis Angliæ apud Clementem VII. Oratoris munus integerrimè gessit; cum enim anno 1524. Summus Pontifex Clemens in gratiam Anglici Regis Thomam Cramerum insignem Theologum, & ejusdem Regis Sacerdotem aulicum, atque in Urbe Curatorem, in generalem Pœnitentiarium totius Angliæ elegisset, ac proinde Cramerus huic muneris operam daturus in Angliam reversus esset; multaque præclara Henrico Regi de Dionysio retulisset; Rex viri probitate & virtute cognitâ, ipsum in locum Cramerii Curatorem suum apud Pontificem designavit, eundemque Clementi per speciales literas Londini die 14. Maij ejusdem anni datas his præcipuè verbis commendavit: *Cum istic adsit venerabilis ac religiosus vir P. Dionysius Ordinis S. Mariae Servorum Italus, vir certè, ut ex nonnullis indiciis perspeximus, multa probitate ac virtutibus ornatus, & eximius sacre Theologiæ Professor, in primisque de nobis benè merendi cupidus; Vestram Sanctitatem impensè rogamus, ut præfatum officium vel in subrogationis modum, vel alio quopiam nomine, præfato P. Dionysio in nostram gratiam conferre velit. Qua in re Vestra Sanctitas hominem multis virtutibus decoratum pro meritis exornabit, & nobis rem oppidò gratam faciet.* Quare idem Clemens in celebri illâ religionis causâ, ob infaustum cum Catharina divortium exortâ, ad Henricum Regem, illum legavit.

Romam re-  
versus.

Cum verò nihil vel optimis monitis apud insanientem libidine Regem Dionysius profecisset, relictâ Angliâ Romam reversus, suffragante Pontifice supremus Ordinis sui Præses in comitiis à Patribus coactis, reluctans ac gemens electus est. Paulus III. Clementis in Pontificatu successor, Oecumenicam Synodum celebraturus, millis quaquaversum ad Europæ Principes Internunciis, Dionysium Ordinis Servorum Magistrum ad Jacobum V. Scotiæ Regem Inter-

nun-

nuncium direxit, amplissimisque privilegiis ac facultatibus per universam Scotiam obeundis, veluti Legatum à latere instruxit, atque cohonestavit.

Cùm igitur in Scotiam, multis itinerum difficultatibus superatis, Dionysius pervenisset, Rex in aula Edimburgi tum constitutus, illum perquam honorificè excepit; eundemque commissa sibi à Pontifice referentem, in publico regni conventu cum Proceribus audivit; cunctisque Pontificis mandatis promptam se exhibiturum obedientiam pollicitus fuit. His peractis, pervenerant recentiores Pontificis literæ ad Dionysium Româ missæ; quibus ipsi specialis dabatur facultas, visitandi, corrigendi, & reformandi monasteria quæcunque & Ecclesias tam sceminarum, quàm virorum, tam claustralium, quàm sæcularium Clericorum: quæ res eò magis Jacobo Regi grata accidit, quò opportuniori tempore delata fuit. Cùm enim Henricus Angliæ Rex in apostasiam prolapsus, Catholicam fidem, & Romani Pontificis obedientiam penitus in suo regno abrogasset, pius & Religiosus Rex Jacobus finitimorum errores declinare; suumque regnum in consueta Pontificis obedientia confirmare cupiens, ab Ecclesiasticorum reformatione futura mala per Dionysium Nuncium Apostolicum præcavenda curavit.

A legatione strenuè, utiliterque obitâ in Italiam reversus Dionysius, mox in præmium benè navatæ operæ Presbyteris Cardinalibus titulo S. Marcelli à Paulo adscriptus est. Ferunt autem Paulum in Minoribus olim constitutum, plurimum in Mathematicis oblectatum; atque ob hanc causam Dionysii rerum Mathematicarum studiosissimi necessitudine & conversatione per subsecivas horas delectatum. Cùmque Dionysius aliquando ei futurum Pontificatum ex certo siderum concursu prædixisset, Alexander (hoc enim nomine ante Pontificatum vocabatur) ut erat festivus, hominem blandè complectens rubro bireto sibi detracto exornavit, addens; *Mox ut ego tiarâ juxta vaticinium tuum ornabor, tu hoc biretò à me decoraberis.* Creatus exinde progressu temporis Pontifex, vaticinii memor, illum inter Purpuratos adlegit.

Variis ab eo tempore Ecclesiis præfectus, & legationibus plurimis ad diversos Europæ Principes, præcipuè verò ad Carolum V. (cui addictissimus erat) insignitus, cùm sensum oneri ob minùs firmam corporis valetudinem succumberet, Romam regressus, ex calculi doloribus excessit è vita die 17. Septembris anno reparatæ salutis 1542. solemnè pompa in Ecclesia S. Marcelli, cujus titulum gesserat, terræ mandatus, atque hoc sequenti, marmorì inciso, epitaphio funeratus.

D. O. M.

DIONYSIO LAURERIO BENEVENTANO  
TITULO S. MARCELLI PRESBYTERO CARDINALI,  
URBINATENSI EPISCOPO,

Inscriptio  
sepulchri.

Dd dd 3

Reli.

*Religionis Servorum Generali gravissimo,  
Ac Legato Campania à Paulo III. Pont. Max. ordinato,  
Viro etiam omni scientiarum genere ornato,  
R. P. M. Augustinus Aretinus ejus alumnus & successor  
gemens posuit anno M. D. XLII.  
Vixit annos XLV. Obiit die XVII. Septembris,  
M. D. XLII.*

Rarissimi sanè vir exempli, selectarumque virtutum. In hoc tamen à nonnullis ejus ævi Scriptoribus reprehensus, quòd à Carolo V. contra Franciscum I. Gallix Regem firmiter steterit; atque in publico totius Orbis Christiani congressu adversus eundem Regem vehementissimè (ut refert in sua Historia Jovius) peroraverit. Quare ab illis *verus Servus* dictus, quòd plusquam servili adulatione erga Carolum laboraverit.

*Ejus scripta.*

Scriptit plurima ad artem Mathematicam pertinentia.  
Orationes ad Carolum V. Henricum VIII. Angliæ Regem  
Cosmum Ducem Hetruriæ in legationibus habitas.  
Selectas quæstiones Theologicas.  
Epistolas multas.

*Agunt de eo Archangelus Gianius in Annal. Servorum. Felix Contelorus in Elencho Cardinal. Aubery in vita. Marius Vipera de Archiep. Benevent. Ughellius in Italia sacra. Filucius in Elogiis M. S. Panvinius de Rom. Pontif. Victorellus in addit. ad Ciac. Morerius in Dict. Hist. & alii.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

MICHAELE SILVIO  
S. R. E. CARDINALE.

LVIII.

*Nobilissimo  
genere ori-  
tur.*

**M**ICHAEL Silvius, Lusitanus, nobilissima Comitum, *Portalegria* gente natus, cum adolevisset (ut ingenio à natura donatus erat acutissimo) præ cæteris disciplinis, Poësi, ac literis, quæ ab humanitate nomen acceperunt, se commisit; illisque Senis in Hetruria sedulam operam locans omnem politioem literaturam, & Latini sermonis elegantiam usque adeò accuratè didicit, ut in utroque dicendi genere, versu scilicet ac soluta oratione facundus & elegans evaserit. Quare meritò à Paulo Jovio, & Jano Vitali, doctissimis ea ætate viris, *Poëta cultissimus, omniumque venustatis & elegantie arbiter* vocitatus est.

*In Lusitaniã  
evocatur.* Hujus virtute & eruditione delectati Emanuel, & Joannes Lusitaniæ Reges, ex Italia in aulam illum evocarunt: Quorum beneficio ad Episcopatum Vifensem evectus, ac Regni Scribæ munere donatus, ad Reges diversos, ac Romanos Pontifices, nominatim ad Leonem X. Hadrianum VI. & Clementem VII. gravissimis de causis legatus est. Scribit Hieronymus Conestagius Historicus Lusitanus, Michaëlem Silvium cum mala Regis Lusitani gratia ex Lu-  
sita-

litaniam in aulam Romanam discessisse : Causam verò , cur Regis indignationem incurrerit , ac aulâ ejus exierit , nullam adfert ; unde in suspicionem venio , Conestagium hæc gratis de Silvio scripsisse , cum reliqui Authores nullius malæ gratiæ , quam apud Regem incurrerit , mentionem faciant ; quin potius Regi semper acceptissimum fuisse , uno ore testentur . Quidquid sit , Romæ Silvius pro Lusitanæ Rege Curator tamdiu mansit , quousque Paulus III. ad ornandam virtutem natus , illum anno salutis 1541. ad Regis Lusitani preces in sacrum Senatum asciverit . Is Venetiis tunc erat ab eodem Paulo ad Senatum missus , cum repente , ne ipso quidem cogitante , publicatus est Presbyter Cardinalis titulo SS. XII. Apostolorum , deinde S. Praxedis .

*Deligitur in  
Cardinalē.*

Hoc insignitus honore , Romamque Venetiis reversus , paucis interpositis mensibus ad Carolum V. Imperatorem in Hispanias pro ineunda pace cum Francisco I. Galliarum Rege , à Paulo Pontifice destinatus est . Functus ea legatione , mox alia & alia , Picenâ primùm , deinde Bononiensi donatus est . Cumque Provincias illas suâ industriâ pacatissimas reliquisset , evocante eum Paulo , Romam reversus , ex titulo S. Praxedis ad illum S. Marcelli ; tum ad S. Pancratii , postremo ad S. Mariæ Transtiberim translatus est .

*Destinatur  
Legatus ad  
Carol. V.*

E vita migravit non planè Senex , sexto post Pauli III. obitum anno , regnante Paulo IV. anno salutis 1556. die 5. Junii . Sepultus Romæ ad S. Mariam Transtiberim ; defletus à bonis omnibus : Utpotè quo nihil festivius Roma habuerit , nihilque dolentiùs amiserit , ut Jovius ait .

*Mortuus.*

Multa feliciter scripsisse perhibetur : Ex quibus Romæ Epigramma in Capitolio marmoreis tabulis Senatûs Romani jussu insculptum extat ; in quo continentur Consules & cæteri Magistratus . Quod refert Oldoinus in vita .

*Scripta illi  
as.*

Scripsit quoque Versus ad Titianum Pictorem celeberrimum , Poëma de laudibus Vitellotii Vitelli fortissimi belli Ducis .

Librum item versu Heroïco de Aqua argentea ad Emanuelem Lusitanæ Regem .

Epistolas plures tersas sanè & elegantes .

Orationes graves in legationibus habitas .

*Agum de eo Filicius in Elog. Paulus Jovius in Elogiis. Comeloxius in Elencho Card. An. Antonius Sanderus in elog. Cardinal. Hieronymus Conestagius de Portugallia conjunctione cum regno Castelle. Morerius in Dict. Histor. & alii.*

ANNO 1534.

SEDATE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

JOANNE MORONO

S. R. E. CARDINALE.

LIX.

*Moronus  
quis?*

**J**OANNES Moronus, Italus Mediolanensis, Hieronymi Moroni Comitis, viri consilio manūque prompti, inter Mediolanenses genere primarii, & in aula Caroli V. Cæsaris, gratia & dignitate conspicui ex nobili fæmina Amabila Tisiraga filius, prodiit in mundum octavo Kalendas Februarii anno æræ Christianæ 1509. Joannes à teneris annis in patria humanioribus literis excultus, Patavium palò post gravioribus disciplinis erudiendus missus, confecto feliciter Philosophiæ, Theologiæ, ac Jurisprudentiæ curriculum, ita brevè iis in facultatibus profecit, ut trinâ condecoratus laureâ, inter primarios Patavini Gymnasii Philosophos, Theologos, ac Jurisperitos connumerari meruerit. Anno ætatis vigesimo octavo sacris initiatus, à Clemente VII. Episcopatu Mutinensi donatus est. A Paulo III. Sub annum 1542. ad Ferdinandum Romanorum Regem Sedis Apostolicæ Internunciatus missus, omnibus Germaniæ conventibus, præsertim verò Ratisponensi, Religionis & Turcis resistendi cauâ coactò affuit. Quo in munere cum partes Internuncii verè Apostolici ad votum Pontificis cumulatifimè explèssent, absens a Paulo virtutis remuneratore Presbyter Cardinalis S. Vitalis titulo Vestinæ primò, mox S. Stephani in Cœlio monte declaratus, Bononiæ rubrum pileum à Gaspere Cardinali Contareno civitatis ejusdem Legato accepit.

*Omnibus  
Germaniæ  
conventibus  
interest.**Legatus A-  
postolicus  
videntum  
destinatus.*

Anno 1542. 13. Kalend. Novembris cum Petro Paulo Parisio, & Reginaldo Polo Cardinalibus, ut Concilium Tridentini inchoarent, Legatus Apostolicæ Sedis missus, ea in urbe permansit usque ad annum 1544. Quo anno suspensâ Synodo, Legatisque revocatis, Bononiensem legationem, ex obitu Contareni Cardinalis vacantem, jubente Pontifice accepit. Quadriennio post ea legatione perfunctus, dimissa Mutinensi Ecclesia, Novariensis Episcopus ad precès Ducis Mediolanensis renunciatus est.

*A S. Igna-  
tio Loyola  
solicitatus  
pro conden-  
do Collegio  
Germanico  
Romæ.*

Mortuo sub annum 1550. Paulo III. atque in ejus locum suscepto Julio III. S. Pater Ignatius, pro suo in res Septentrionis zelo, Moronum Cardinalem iteratis precibus eò denique flexit, ut is Pontificem conveniens, sermonem cum eo de instituyendo Romæ Germanorum Collegio haberet. Morono igitur proponente, & Ignatio apud Julium Cardinalis mentem approbante, Collegium Germanicum in urbe pro adolescentibus pietate & literis instruedis exædificatum est anno 1552. Quod opus, & Ecclesiæ Romanæ ornamento, & Germaniæ magno adjumento fuisse, & esse hodie, vel maximè constat. In hujus Collegii, temporum tractu penè collapsi, instaurationem, & amplificationem Gregorius XIII.

Pon-

Pontifex Maximus, pro sua in eam nationem nunquam satis laudanda clementia & liberalitate, totis viribus incubuit; editâ sub annum 1573. Octavo Idus Augusti in ejus favorem Constitutione *Postquam Deo &c.* qua idem Collegium statutis, privilegiis, proventibus, & Patronis, seu Protectoribus (inter quos Joannes Moronus <sup>Fit Cardinalis.</sup> Cardinalis primus recensetur) munivit. Anno autem 1574. Idibus Julii facultates seu officium Patroni ejusdem Collegii expressit: alumnos, quos nonnunquam singulari humanitate invisit, liberalibus disciplinis, Philosophia, sacris Canonibus, & Theologia erudiri voluit: deditque operam ut 150. selecti è flore Germaniæ juvenes in illo instruerentur. <sup>Constitutio Collegii Germanici.</sup> Quamvis hac ætate non nisi centum vel circiter in eo numerentur. De hujus Collegii institutione & progressu agit Orlandinus lib. 2. Historiæ Societatis JESU, num. 8. Hieronymus item Catanus S. I. in Panegyrico suo, anno sæculari ejusdem Collegii 1652. dicto; cujus initium est, *Ea est inter Oceanum, fluviosque diversitas &c.* Hunc Panegyricum legisse, scio, non pigebit.

Joannes Moronus porrò ad titulum S. Laurentii in Lucina <sup>Legatur in Germaniâ.</sup> translatus, atque anno 1555. Legatus in Germaniam missus, cum Augustano Conventui, præsentate Ferdinando Romanorum Rege Caroli Cæsaris fratris Vicarium agente, interfuisset; accepto de Pontificis Julii morte nuncio, Romam reversus Marcello II. in comitiis suffragatus est: quo intra viginti duos dies vitâ functo; & Joanne Petro Cardinali Caraffa sub Pauli IV. nomine in ejus locum substituto, Moronus relicto S. Laurentii in Lucina Titulo, & S. Mariæ Transyberim assumpto, cum palatium suum vetustate collapsum erexisset, derepentè à Paulo Pontifice severo & suspicioso sene, quasi in Germania cum Protestantibus colluisset, ac de Religione minùs rectè sensisset, in Molem Hadriani captivus conjicitur, & quatuor Cardinalibus severa admodum inquisitione examinandus committitur. Mansit in carcere vir probus & innocens, nullo convictus scelere, usque ad Pauli obitum. Unde Pius IV. Pauli successor, cognitâ integerrimi Cardinalis innocentiam, illum non modò ab omni impacta calumnia & suspicione liberavit, ac etiam Episcopatu Albanensi, mox Sabinensi, demum Prænestino donavit, sed & præ omnibus dignum judicavit, quem anno 1563. in Herculis Gonzagæ Cardinalis Mantuani locum, primum Legatum & Præsidem ad generalem Synodum Tridentinam, iterum à se convocatam, mitteret; ac paulò post ad Ferdinandum I. Imperatorem.

Imo cum ad Cæsarem Pontifex illum designasset, hortatus est in publico Consistorio, ut ad Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem laborem susciperet; respondit Moronus injuriæ à Paulo perpetræ haud immemor; *suas partes esse silere, & obsequi, & pati.* Legationi itaque commissæ insistens, Sabbatho sancto, qui incidit in 10. diem Aprilis, Tridentinam urbem ingressus est solemnî pompa sub umbella, susceptus generali omnium ordinum processione & lætitia. <sup>Solemnî pompa Tridentinum ingreditur.</sup> Triduo post congregatis Patribus, ac Principum Oratoribus, in amplissimo confessu orationem habuit de sua missione cum excusa-

tione imbecillitatis suæ in tanto munere dignè administrando, & exhortatione ad ea duntaxat tractanda, quæ maximè necessaria videntur, remotis quæstionibus inutilibus, abruptisque contentionibus omnibus, atque discordiis.

*Adit Ferdinandum I. Cæsarem Oenipontium.*

Sed antequam quicquam in rebus Concilii aggrediretur, Ferdinandum I. Cæsarem Oenipontium agentem adiens specie, ut tantummodo Pontificis propensam voluntatem erga progressum Concilii, & integram Ecclesiæ reformationem sine ulla exceptione Cæsar approbaret; re præcipuè, ut Cæsarem dimoveret à cogitatione proficiscendi Tridentum; oraret finem ejus accelerari, & causas obstantes tolli, ac sedis Apostolicæ auctoritatem factam, tectam servari contra tot malevolorum machinationes adversus eam comparatas; & ut reformatio Curia Romanæ non institueretur Tridenti a Concilio, sed Romæ ab ipso summo Pontifice; denique proponeret Concilii translationem Bononiam, ubi posset Cæsar cum Pontifice convenire, atque in eo celebri Conventu Imperii coronam accipere, quod nemini Imperatorum hactenus contigisset. Ferdinandus Cæsare in omnia consentiente, Moronus Oeniponto Tridentum reversus, ad Concilii res summa fide, industria, & integritate tractandas sua studia contulit.

*Legatus Romanam profectus.*

Perfecto sub annum 1564. Concilio Joannes Moronus Cardinalis Legatus Romam profectus, ex Prænestino Episcopus Tusculanus renunciatus, mox Portuensis electus, tandem Francisco Cardinali Pisano mortuo, in Episcopatu Ostiensi, ac sacri Collegii Decanatu successit. Anno verò 1575. à Gregorio XIII. Pontif. Max. Genuam legatus, ejus Republicæ tumultus, unà cum Maximiliani II. Cæsaris, & Philippi II. Hispaniarum Regis Oratoribus, gubernio novis legibus commutato, ad pacem & tranquillitatem redegit. Et iterum anno 1576. in Germaniam, ut Conventui Ratisponæ celebrando adesset, Legatus missus, Maximilianum Cæsarem Poloniae Proceribus, quod eo neglecto, quem prius nominaverant, Stephano Barthorio Poloniae regnum dedissent, iratum placavit.

*Protector plurimum ordinum.*

Regnorum Angliæ, Hungariæ, & Archiducatus Austriæ; Sacrae item Domus Lauretanæ; Monachorum Congregationis Cassinensis, Monachorum Cisterciensium; Ordinis Prædicatorum; Monialium Convertitarum Urbis; Collegiorum Germanici, & Anglici protectionem Summa cum vigilantia exercuit. Hoc Patrono Lauretanum Templum haud parva incrementa cepit: siquidem (attestante Horatio Turfellino in Historia Lauretana) Canonici Lauretani auctis stipendiis ad amplificandum Templi cultum incitati; Pœnitentiarii lineis vestibus superinduti, sericis infulis (stolas vocamus) ad ipsorum, ac Templi decorem ornati; duodecim pueris Sacrorum ministris rubrae vestis insigne datum; novum Odæum (quia vetus aucto Sacerdotum Symphonicorum numero erat angustius) multo amplius, commodiusque institutum & ornatum; ad solemnem Aræ ornatum duodecim Apostolorum simulachra, ex argento puro sesquicubitalia egregio opere facta, pondo septingentarum

ac viginti librarum: Lauretanæ Historiæ Synopsis à Teremano Præfide olim edita, in octo præcipuè linguas, Græcam, Arabicam, Hispanam, Germanam, Latinam, Illyricam, Gallicam, & Italicam versa, eadèmq̃ue in totidem ingentibus tabulis descripta, ac in Templi medio exposita, ut omnibus varii idiomatis advenis Historiæ cognoscendæ copia foret. Ipse verò piissimus Cardinalis periculoso quondam implicitus morbo, Lauretanæ Virginis implorata ope, repente nec sine miraculo convaluit. Cujus rei testem, tabellam auream ingentis præcii, extare voluit.

Tandem multis præclarè gestis insignis, septuagenario major, Romæ Kalendis Decembris, anno reparatæ salutis 1580. Gregorii XIII. Pontificatûs nono migravit è vita. Cujus corpus funerali pallio ornatum, in Templo S. Mariæ super Minervam cum hoc sequenti elogio marmoris inciso sepultum est.

HIC JACET CORPUS JOANNIS CARDINALIS MORONI, PATRICII MEDIOLANENSIS, ET EPISCOPI OSTIENSIS. QUI FUIT LEGATUS APOSTOLICUS IN SACRO CONCILIO TRIDENTINO ET PRÆSES. VIXIT ANNOS LXXI.

MENSES X. DIES V. OBIT KALEND. DECEMBRIS,

ANNO SALUTIS M. D. LXXX

ORATE DEUM PRO EO.

Hic vivens Societatem Jesu unicè amavit; Petro Fabro Theologo clarissimo, & vitæ sanctitate conspicuo ad expiandas animi noxas, quoad licuit, usus. A veterno vitiorum conversis mulierculis monasterium construendum Mutinæ curavit. Patres Societatis, & Capucinos, exitatis utrique Ordini congruis ædibus, Mutinam introduxit. Tribus Synodis Provincialibus celebratis optimis legibus Clerum ad præscriptum Concilii Tridentini instituit; nihilque omisit in procuranda animarum salute, quod vigilantissimi Pastoris munus requireret. Dignus eapropter illo suffragio, quo in comitiis illum S. Carolus Borromæus post Pij IV. obitum ad summum Sacerdotium evehere nitebatur.

Scriptit Constitutiones Episcopatus Novariensis ad divinum cultum, curam animarum, & vitam Clericorum pertinentes.

Item Mutinensis Synodi acta.

Orationem in Concilio Tridentino habitam.

Leges pro concordia Genuensium.

Acta Concilii Tridentini.

Epistolas plures ad Principes viros, ac alios.

D. Hieronymi Scripta quoque ab Erasmi Roterodami erroribus castigavit.

Agunt de eo Ludovicus Jacobillus Fulginatensis in vita. Henricus Spondanus in Annal. Parisinus de Rom. Pontif. Aubery in vita. Ughellius in Ital. Sacra. Pallavicinus in Hist. Concilii Trident. Hippolytus Marraccius in Purp. Mariana, Horatius Tursellinus in Hist. Lauret. Nicolaus Orlandinus in Hist. Soc. Jesu. Petrus Maffei in vita S. Ignatii Moverum in Dict. Hist. & alii plures.

ANNO 1534.

SEDATE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## GREGORIO CORTESIO

S. R. E. CARDINALE.

LX.  
Cortefius  
quis?

**G**REGORIUS Cortefius, nobilis Mutinensis, à primis adolescentiæ annis in studiis virtutum ac bonarum literarum, Græcis præcipuè & Latinis, sub severi Monachi Cisterciensis Placentini disciplina institutus, juri deinde Civili atque Canonico Bononiæ primùm, postea Patavii egregiam operam dedit, multùmque in omni doctrinæ genere, acutissimi ingenii beneficio, profecit. Vir factus in clientelam Joannis Cardinalis Medicei receptus, eidem ab Epistolis, negotiisque domesticis fuit. Apud quem etiam, quum is anno salutis 1513. Romanus Pontifex sub Leonis X. nomine salutatus fuisset, gravissimum munus audiendarum causarum summa integritate exercuit. At cum hujuscemodi laboris onere nimium premeretur, & ad sacrarum literarum studium, quietamque transigendam vitam divino quodam instinctu pertraheretur, ad Cœnobium D. Benedicti in agro Mantuano congregationis S. Justinæ convolans, monachi habitum induit. Progressu temporis ita virtutibus, eruditione, ac regulari observantia enituit, ut unus communi suffragio dignus sit judicatus, qui omnibus præficeretur. Itaque loci Cœnobiarcha electus, tanta prudentia & discretione partes suas complevit, ut non modo omnibus admirationi, & incitamento ad virtutem esset, sed & vulgari elogio *dulcis & sapiens Abbas* nuncuparetur.

Creatur  
Cardinalis.

Crevit Gregorii fama non modo apud suos, sed etiam apud externos Principes, & quàm maximè apud Paulum III. Summum Pontificem, qui mira viri probitate, scientia, ac religione permotus, illum ex Abbate Mantuano Cardinalem creavit die ultima Maij anno salutis 1542. & paulò post Romam accitum, titulòque S. Cyriaci in Thermis insignitum, Urbini Præfulem nominavit; ac in rebus ad Concilium spectantibus cum aliis Cardinalibus arbitrum constituit.

Ejus elogiũ.

Cæterum miris eum laudibus cohonestavit Paulus in literis ad eum datis tenoris sequentis. *Hodie in his sacris jejuniis, atque in Confessorio Nostro secreto inducti singulari tua probitate, Religione, ac doctrina, Te sacra Romana Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, in Dei nomine de Venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium consilio creavimus; firmiter sperantes, quòd his difficillimis temporibus tuâ operâ, & consilio Nobis, & ornamento futurus sis & adjumento. Cui Nostra spei, ut quemadmodum te dignum est, respondeas; utque à Nobis pileum rubrum Cardinalatûs insigne, juxta veterem, & probabiliorẽ morem præsens accipias, te hortamur, tibi que injungimus, ut primo quoque tempore venire matures ad Nos,*

qui

qui te libentiſſimè videbimus. Interea has Noſtras literas, teſtes, ac nunci-  
 cias tua dignitatis, unà cum bireto de more à Nobis benediçto, per dile-  
 ctum filium Cornelium Bellenzinum nepotem tuum, ad te mittimus, quas  
 debita cum reverentia recipies. Datum Roma apud S. Petrum ſub annulo  
 Piſcatoris die 11. Junii 1542. Pontificatùs Noſtri anno octavo.

Ad has Pauli Pontificis literas tale reſponſum illico dedit Gre-  
 gorius. *Vix fieri poſſe credidiſſem, ut oculis Sanctitatis veſtrae in ſupre-*  
*mo rerum vertice conſtitutiſſis, inter tot graves tamque multiplices curas,*  
*quibus in reipublica Chriſtiana gubernatione animum ejus neceſſe eſt diſtra-*  
*hi, ego in infimis poſitus, & velut in abdito quodam deliteſcens, aliquan-*  
*do poſſem occurrere. Enimverò cum fama primùm, deinceps compluribus*  
*nuncijs, poſtremo honorificis S. Veſtrae literis factus ſum certior, me in ſa-*  
*cro ſanctum Cardinalium Collegium cooptatum, equidem ſic exhorruì, ut*  
*vix longo demum intervallo animum potuerim recolligere. Ab ejus enim rei*  
*exſpectatione adeò longè aberam, ut nec mihi aliquando in mentem venerit,*  
*tale quidpiam ſuſpicari: Praclarèque mecum agi putabam, ſi in in-*  
*feriori ordine & gradu conſtitutus, ea quæ mei muneris eſſent, præſtiſſem.*  
*Cum verò id etiam ea ratione factum, quòd ſpes aliqua eſſet, me S. V. ope-*  
*râ & conſilio iſtis difficillimis temporibus & ornamento & adjumento fu-*  
*turum, gravem mihi adverſariam conſtitutam eſſe perſpexi, concitatam de*  
*me exſpectationem: Quam decipere quodammodo nefarium, ſuſtinere au-*  
*tem longè difficillimum eſſet. Ego certè, Pater ſancte, cum me ob iſtud ve-*  
*ſtrum de me judicium obſtrictum videam memoriâ beneficii ſempiternâ, &*  
*non modo ad referendam gratiam, ſed nec ad habendam quidem, aut præ-*  
*dicandam ſatiſfacere poſſim, quòd unum poſſum, polliceor, eximium ſcili-*  
*cet ac ſingulare ſtudium, fidemque erga ſanctam Sedem Apoſtolicam, uni-*  
*verſamque Sanctitatis veſtrae cognationem. Qua in re, etſi fortasſe cete-*  
*ris Ordinis noſtri ingenio, eruditione, & uſu rerum, amore tamen, dili-*  
*gentia, atque fide nemini certè ſum conſeſſurus.*

Reſpondet  
 literis Pon-  
 tificis.

Quòd verò ad proſeçtionem meam ad urbem attinet, quam, ut amplif-  
 ſima hujus dignitatis inſignia præſens accipere poſſim, primo quoque tempore  
 Sanctitas veſtra aggredi jubet, & ſi nobis optabiliter iter illud eſt ineundum,  
 quo ad beatorum pedum oſcula, ad agendas gratias, & ad munus noſtrum  
 exequendum ocyſſimè advolem, attamen ſi S. V. à ſe impetrari permittet,  
 ut iſthæc noſtra proſeçtio in Kalendas Septembris rejici poſſit, iſtud proſeçto  
 multis de cauſis rationibus noſtris conducere videretur. Primùm quidem,  
 quòd celeberrimi hujus Cænobii, cui præſui quinquennio, rebus conſtitutiſſis,  
 rationes omnes conſeçtas ſolidatasque relinquam. Denique quòd cum pro-  
 xima hyeme, & vere toto ſatis vehementer agrotarim, tum demum vale-  
 tudine meliùs firmatâ, jaçtationem, ceterasque itineris moleſtias abſque o-  
 mni periculo ſuſtinebo. Poſtremo quòd æſtivalis caloribus mitigatis, quibus  
 imbecilla corpora maximè tentari ſolent, expeditiùs, & majori cum ſecu-  
 ritate iter conſciam. Qua in re ita demum conſilium noſtrum Sanctitati  
 Veſtrae probatum eſſe cupio, ſi nulla ex parte ab ejus animo & voluntate diſ-  
 creparit. Cum enim ad hanc atatem, omne vita mea curriculum ita ſem-  
 per dirigendum eſſe duxerim, ut quaſi ſignum mihi eſſet propoſitum, ad quòd  
 omnes actiones meas intenderem, Superiorum meorum in primis que Sancti-  
 tatis veſtrae voluntas, nunc eò magis enitar, ut omnes obedientie numeros,  
 partesque impleam, quo quaſi membrum proximè capiti adjunctum, totam

*vivendi rationem, tanquam vitalem spiritum potissimum: à S. V. petere, hauriréque debeam. Incolumem Sanctitatem Vestram DEUS Optimus Max. servet. Ex Cœnobio S. Benedicti Mantuani tertio Idus Junij 1542.*

Gratulan-  
tur ei pur-  
puram viri  
clarissimi.

Gregorio ad purpuram assumpto humanissimis literis gratulati sunt viri gravissimi, Petrus Bembus, Jacobus Sadoletus, Joannes Moronus, Rodolphus Pius, Guido Ascanius Sfortia, Dionysius Laurerius Cardinales, aliique complures. Ipse verò Gregorius nihil ob novam dignitatem candoris, nihil probitatis, nihilque antiquæ comitatis amisit; sed potius omnibus gratus in sacrarum literarum studiis innocenter ac piè noctes, dièsque transegit. Cùm doctissimis viris per totam ferè Europam familiaritatem; & frequens per epistolas colloquium habuit, celebratus ab omnibus ob ingenium propè divinum, doctrinamque mirè excellentem. Tandem Romæ omnium, & maximè suorum luctu nondum planè senex è vivis excessit, XI. Kalend. Octobris anno salutis 1548. sepultus in Basilica XII. Apostolorum ante aram D. Eugenix. Morti proximus familiari suo adstanti dixisse fertur; *En sum morti proximus! melius mihi procul dubio esset, è vita migrare in paupere religiosorum virorum veste, quàm in hac purpura; splendet hæc quidem in hominum oculis, ornâtque virum; sed ni dignè geratur, continuò etiam maximoperè onerat, & aggravat. Ego illam sic gessi, ut saluti futuram sperem.*

Ejus obitus.

Ejus scripta.

Plurima scripsit vir pius & doctus opera, ingenii sui eruditionem posteris testantia: nominatim.

Commentaria de peccato originali.

Tractatum laudes Lerinensis Insulæ, & Cœnobii continentem.

Tractatum de Theologica Institutione.

Commentaria in 4. libros Sententiarum.

De Potestate Ecclesiastica librum.

Quod S. Petrus Romæ fuerit ad Hadrianum VI.

Epistolarum Latinarum Volumen.

Epistolarum Hetrusco sermone aliud volumen.

Hymnorum diverso metro librum.

De Viris Illustribus Ordinis Monastici tractatum.

De direptione urbis Genuensis librum.

Poëmata sacra ad imitationem C. Catulli.

Nonnulla ad Philosophicam & Theologicam facultatem spectantia.

Ejus pariter operâ à Latinis legitur Tractatus D. Cypriani de Virginitate.

Fuit non ignobilis Author, qui existimaret, Cardinalem Cortesium ex eadem familia fuisse, qua Ferdinandus Cortesius Mexicanæ Provinciæ Domitor, simul & novæ Hispaniæ inventor, qui anno 1547. die 2. Decembris è vita migravit; grandi utique hallucinatione; cùm ille Medellini in Hispania Bætica sit ortus, Cardinalis autem Mutinæ in Italia.

Agunt de eo Antonius Sanderus in Elogiis. Aubery in vita. Spondanus in Annal. Felix Contelorius in Elencho Cardinal. Jacobus Gaddius de Scriptor. Panvinius de Rom. Pontif. Victorellus in addit. ad Ciac. Ughellius in Italia sacra. Morerius in Dict. Hist. & alii.

ANNO

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## THOMA BADIA

### S. R. E. CARDINALE.

**T**HOMAS Badia, natione Italus, patria Mutinensis, Ordinis LXI.  
 Prædicatorum, non modò literarum scientia illustris, ve- Badia quis ?  
 rum etiam vitæ sanctitate, fidei zelo, & animi candore in-  
 signis. Hic ob profundam rerum Theologicarum cogni-  
 tionem Magister sacri Palatii, ac hæreticæ pravitatis inquisitor à  
 Clemente VII. constitutus, tanta integritate suo muneri pluribus  
 annis præfuit, ut à Paulo III. Clementis successore in Cœtum Pur- Fit Cardin-  
 puratorum Presbyter Cardinalis S. Sylvestri in Campo Martio sub nalis.  
 annum 1542. relatus fuerit. Adauctus purpurâ, eandem, quam  
 antea, vitæ rationem tenuit: Tempus enim vel in percurrendis sacris  
 libris, vel in contemlandis divinis mysteriis, vel concionibus ad po-  
 pulum habendis terebat totum. Quare sanctitate & doctrinâ clari-  
 or, quàm dignitate, anno 1547. sexta die Septembris, sexagena-  
 rio major, non sine opinione & fama sanctitatis, Romæ excessit è  
 vita; tumulatus ad limina S. Mariæ super Minervam apud alterius  
 Thomæ de Vio Cardinalis Cajetani cineres, cum hoc epitaphio  
 parieti Ecclesiæ affixo.

D. O. M.

THOMÆ BADIÆ MUTINENSI,  
 Eruditione, continentia, ac sanctitate clarissimo,  
 CARDINALI DIVI SYLVESTRI,

*Qui è amplissimo Ordini senatorio, è cunctis mortalibus  
 mira cujusdam frugalitatis, Religionis, atque omnis vitæ  
 incredibile exemplum reliquit; aliis verò quibuscunque  
 honoribus non tam uti voluit, quàm dignus videri:  
 Quos tamen sola morte existimatus est fugere potuisse.*

*Franciscus Badia Fratri optimo  
 posuit.*

*Vixit annos LXIII. Menses IX. Dies XXVII.*

*Obiit anno Christi M. D. XLVII.*

*Octavo Idus Septemb.*

*Ejus sepul-  
 chrale epi-  
 taphium.*

Scriptit Commentaria in octo libros Physicorum.

In libros de Anima.

In libros Metaphysicorum.

De Providentia Dei.

Quæstionum Physicalium & Metaphysicalium librum u-  
 nicum.

*Scripta.*

*Agens*

*Agunt ejus memoriam Gaspar Siligandus in Catalogo Mutinensium Præfulum. Antonius Auberius in vita. Antonius Possevinus in Apparatu sacro. Contelorius in Elencho Cardin. Sixtus Senensis in Bibliotheca Prædicatorum. Victorellus, & Ughellius in addit. ad Ciac.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## OTHONE TRUCHSESIO

S. R. E. CARDINALE.

LXII.

*Nobilissimo  
stemmate  
ortum ducit.*

**O**THO Truchsesius, natione Germanus, patria Augustanus, nobilissimorum conjugum Guillelmi Truchsesii Baronis à Waltburg & Joannæ comitissæ à Fürstenberg filius, parentum cura ab ineunte ætate Tubingæ, primaria Wirtenbergiæ urbe, pietatis ac literarum fundamenta posuit. Luca Lundaestro præceptore & duce, felici in politiori literatura progressu facto, Academias Dolanam in Burgundia, Papiensem & Patavinam in Italia magno ingenii emolumento lustravit; ubi adhuc adolescens tam stricta quam soluta oratione cum doctissimis quibusque concertans, palmamque referens, Doctorum calculo, Rectoris Academiæ gradum consecutus est. Inde Bononiam profectus, Jurisprudentiæ, Hugone Boncompagno professore publico prælegente (qui postea sacris Christianis præfectus, Gregorius XIII. dictus est) eam navavit operam, ut non modò doctissimis Italis admirationi esset, sed & dignus judicaretur, qui inter primarios Jurisperitos Laurea doctorali decoraretur.

In Germaniam reversus, cum morum probitate, virtutibus, ac eruditione mirè splendesceret, occupatis tanta luce animis, primum majoris Ecclesiæ Augustanæ Canonicus, postea Tridentinæ Cathedralis Decanus electus est. Interjectis nonnullis annis Romanam negotiorum causâ profectus, capto viri prudentiâ, eruditione, & facundiâ Paulo III. ab eodem inter intimos Cubicularios adsciscitur; ac mox anno salutis 1543. in Germaniam Sedis Apostolicæ Internunciatus ad Conventum Norimbergensem pro indictione Concilii Tridentini, cogendisque ad illud Patribus mittitur: Quo tempore unanimi omnium consensu Episcopus Augustanus, & sacri Romani Imperii Princeps, ac Dapifer eligitur; & anno sequenti, qui fuit Christi 1544. à Paulo Pontifice Presbyteris Cardinalibus titulo S. Balbinæ absens adscribitur.

Cardinalis creatus missus ad Tridentinam Synodum Claudio Jaio, uno ex decem primis Societatis JESU patribus, qui locum, & personam suam cum pari doctrinæ, virtutisque ac sapientiæ laude sustineret, ipse ad Bojorum Ducem interim profectus, cum illo egit de bello Saxonie Duci, & Lantgravio hæreticis inferendo. Quo in bello & ipse magnâ gentiliū suorum, ex primaria Ordinis nobilitate, catervâ stipatus, Quæstoribus exercitûs præfuit Imperato-

*Post præcel-  
sas alias di-  
gnitates  
Cardinala-  
tu coronat  
gloriam su-  
am.*

ratoris nomine, & omnem authoritatem in eis civitatibus, quæ in ipsius Imperatoris potestatem venturæ erant, præsidio muniendis accepit. Anno verò salutis 1548. Synodum Augustanam diocesanam pro reformatione Cleri & populi morum, & Ecclesiarum celebravit; in qua præter alia Decreta Catholica, Laurentii Cardinalis Campegii sedis Apostolicæ olim Legati constitutiones Ratisponæ indictas renovavit, atque in usum redegit. Victoriâ deinde ex Saxone & Lantgravio reportatâ, diocesim & Clerum Augustanum (horum enim potior pars ab ipsis detinebatur) recuperavit, ac rebus ordinatis tranquillitati restituit.

Julio III. sub annum 1550. in demortui Pauli locum successore, Otho Cardinalis ex Presbytero S. Balbinæ ad Titulum S. Sabinæ translatus, ipsius Ecclesiæ absidem vetustate collapsam propriis sumptibus restauravit; Ecclesiam verò ipsam picturis pulcherrimis ac novis altaribus exornavit: in fornice etenim superioris facelli hanc marmoris incisam inscriptionem, hoc etiamnum tempore extantem legimus:

*Otho Truchses de Walpurg S. R. E. Presbyter Cardinalis  
Augustanus collapsam restituit, & exornavit.*

*Anno M. D. LX.*

Ejusdem Pontificis Julii autoritate Gymnasium Dilinganum Societatis Jesu Professoribus & alumnis fundavit pro Cleri nuper à se correcti eruditione, & juventutis Germanicæ contra hæresis virus antidoto: Quove ipsa adversus omnes hæreticorum insultus, sacræ Theologiæ veluti armis, & propugnaculis muniretur, pro ejus Collegii exædificatione quinquaginta millia aureorum expendit, in quo postea trecenti eoque amplius juvenes educabantur. Augustæ Vindelicorum pari liberalitate pro iisdem Societatis Patribus dum construxit atque fundavit. Collegii Germanici Romæ nuper pro erudiendo Germaniæ flore à Julio erecti, singularis, quoad vixit, Patronus extitit & benefactor.

Sanè quanto Cardinalis Truchsesius Societatis Jesu Sodales in pretio & amore habuerit, colligitur ex multis ejusdem Societatis historiæ ab Orlandino conscriptæ locis. Quin & ipsum sanctissimum Fundatorem Ignatium, viventem ac mortuum quo honore, qua reverentia prosecutus fuerit, apparet luculentissimè ex ipsius Othonis Epistola Herbipoli ad patres Societatis data; quam refert ex Orlandino in hæc verba Augustinus Oldoinus: *Haud facile dictu est, Venerandi in Christo ac religiosissimi fratres, sanctissimi nostri Patris Ignatij ad vitam meliorem excessu, utrum nobis mæror, an letitia major exciderit. Nam si ex hujus vite calamitatibus ad præmia, qua promeritus est, evocatum Dei bonitate consideramus, impium esset, id ei bonum commodi nostri causa invidere: ex altera parte est cur meritò plurimum doleamus, ubi relictos nos orbos aspicimus, eoque parente destitutos, qui quavis in difficultate portus nobis tutissimus erat. Tamen quia caduca cum æternis conferenda non sunt, id solatii, quod item vobis capiendum est, capimus, certi eam benedictam animam pro nobis, qui in tenebris hisce mansimus, supplicem apud Deum esse, ac precari, ut ea felicitate articu-*

*lum supremum exigamus, qua exegisse illum cognovimus. Gratia sine divina Majestati, cui nos (ne grave ducite) vestris precibus commendari cupimus.*

Est & hujus summæ pietatis in Societatem JESU, qua illam complexus est Otho Cardinalis, argumentum non vulgare, quod exorto inter ipsam & Canonicos Augustanos dissidio ex prava nonnullorum æmulatione (ut sunt in omni cœtu hominum pacis ac pietatis inimici) Cardinalis pro æquitate judicium ferens, causam Societatis suscepit, & concordiam sua authoritate ac interventu ininitam, scripto etiam suo firmare dignatus est; quodque extructo à fundamentis, ut diximus, Dilingæ summa liberalitate Collegio, ipsique Societati attributo, in quo trecenti & amplius juvenes pietatis & doctrinæ rudimentis imbuerentur, Petrum Soto, & Martinum Olavium Theologos præstantissimos à se ad id accersitos illi præfecit; quodque totam Dilinganam Academiam ejusdem Societatis fidei ac curæ commisit, ac tradidit eo apparatus, ac cœremonia, quam Franciscus Sacchinus in Lainio disertè ac fusè describit.

*Res Soc Jesu quasi suas tractat.* Verbo, res Societatis JESU quasi suas tractabat, eadèmq; curâ, sollicitudine, lætitiâ, mœrore nihil fecius, atque sua in re, in prospero adversoque statu commovebatur. Exemplum in re non magna perspicuum licet capere. Anno 1559. unus tironum arctioris vitæ tædio victus clam Ingolstadio Augustam vindelicorum fugerat: agnitus ex vestium genere ad Cardinalem in palatium perducitur: Princeps hominis fugâ intellectâ, eum emollire, atque ad saniora revocare aggressus, monita sancta primò & adhortationes ingeminat; quæ ubi non proficiunt, tanquam suæ personæ oblitus ad obsecrandum & obtestandum vertitur: blandè fugitivum humiliterque amplexatur, nullum prætermittit precum ac blanditiarum genus; nec tamen cor durum cedebat. Tum dexterâ apprehensum ex aula in sacellum deducit; ibi ante altare in genua provolutus, ad gratiam Dei implorandam invitat, Psalmos aliquot alternatim pronunciant; quibus pias & rei accommodatas orationes adjungit. Hic demum, an clementia Numinis conciliata? an tironis veternum excussum, totum se arbitrio Cardinalis permittit; atque Ingolstadium reversus, desertam militiam constantia majore, animoque repetiit. Quæ curatio si periclitanti corpori effectu parî fuisset adhibita, miraculum, & quidem meritò diceretur.

*Lainio Soc. Jesu Generali defuncto parentat.* Idem anno 1565. Jacobi Lainii Societatis JESU Præpositi Generalis morte auditâ, Dilingæ exequias illi insigni pompa, & apparatu magnifico celebravit, ejusque cenotaphium non pulla veste, uti mos est, sed purpurea inferni iussit, quod tanti viri memoriam non luctu, sed gaudio prosequi æquum esse diceret. Cùmque Orator laudationem funebrem absolvisset, protinus Cardinalis è folio suo effari exorsus in magna auditorum frequentia, non tantùm quæ ille commemoraverat, vera esse confirmavit, sed etiam alia ab ipso prætermissa, facunda dissertatione, supplevit. Ad nuncium verò electionis Francisci Borgiæ in Societatis Præpositum Generalem, Dilingæ in Templo, solemnî ritu, musicoque concentu Deo grates egit.

Sunt

Sunt & alia innumera Othonis in Societatem JESU, atque adeo in universam Ecclesiam beneficia, æternæque pietatis ejus verè Germanæ monumenta.

In sacra Æde Lauretana verò (ne suus in Virginem affectus de-  
sideraretur) proprium sacellum erexit, laudatissimorum quæ picto-  
rum, quæ platarum operibus conspiciendum. Vestem item au-  
ream præclaro opere insignem; monile ex unionibus centum quin-  
quaginta, certa per intervalla aureis distinctum globis; aureum nu-  
mismata pendulum, gemmis & margaritis nobile, eidem Laureta-  
næ Virgini donum tulit. Româ in patriam remeans secum attu-  
lit hierothecam nobilem Græcis literis inscriptam, in qua præter  
aliorum Sanctorum pignora erat pars zonæ Deiparæ Virginis, nec  
non pars fasciarum, quibus eadem virgo corpus Christi infantis  
obtexit: hanc, inquam, hierothecam Româ in Germaniam dela-  
tam, Augustæ in primaria Æde B. Virgini sacra publicæ venera-  
tioni exposuit.

Denique præclarum religionis suæ specimen erga Sacrosan-  
ctam Eucharistiam edidit, cum Româ aliquando in Germaniam iter  
arripiens, Bononiæque transiens casu in Sacerdotem corpus Chri-  
sti ad infirmum deferentem incidisset. Tum enim verò confestim  
ex equo desiliens, summa animi demissione Dominum in Sacra-  
mento de genu veneratus est; eundemque pedes ad domum ægri  
(cui & aureos numos aliquot pro sublevanda inopia impertiit) in-  
deque ad Ecclesiam comitatus est.

His ergo virtutum gradibus Otho noster ad summas in Ecclesia  
dignitates ascendit: nam præter Cardinalatum, Præposituram  
principalem & dominium Ecclesiæ S. Viti oppidi Elvangelis, ac  
deinde infulam Herbipolensem cum annexo Ducatu consecutus;  
biennioque post supremus Caroli V. Cæsaris inter Sicambros Quæ-  
stor designatus; & anno 1558. Cæsare annuente sacri Romani im-  
perii Protector declaratus est: sequenti verò anno in Conventu  
Augustæ iterum habito, reliquis pontificiis Ministris absentibus to-  
tum onus religionis Catholicæ unus; nec sine Ecclesiæ commo-  
do, sustinuit. Sub Pio IV. Romano Pontifice Romam repetens, à  
Titulo S. Sabinæ ad Titulum S. Mariæ Transyberim translatus, po-  
stèa Episcopus Albanensis factus, inter eos Senatores relatus est,  
qui supremo sanctissimæ Inquisitionis tribunali in maximis causis  
præsident.

Anno 1563. in Hispanias cum Serenissimis Principibus Rodul-  
pho, & Ernesto Austriæ Archiducibus Maximiliani II. Cæsaris fi-  
liis è Germania profectus, Tridentum, dum Concilio finis impo-  
situs esset, se contulit; atque Ulricum Comitem ab Helfenstein  
magnæ apud Germaniæ Principes authoritatis virum, in Catholi-  
cæ Ecclesiæ gremium suâ operâ reductum, per tres ipsas hebdo-  
madas unâ cum altero ejus fratre domi apud se tenuit, ut in sus-  
cepta fide orthodoxa eum confirmaret; ne tenera hæc arbor, &  
novella planta, seu Neophytus hic aliquo tentationis, seu ma-  
lignæ suggestionis vento, qui accedentes ad servitutem Dei agitare  
solet, à radice sua avelleretur.

Sanctè mo-  
ritur.

Anno 1570. Romam profectus, annuente Pio V. Pontif. Max. ex Albanensi Episcopo Sabinensis creatus, Archisodalitatis SS. Trinitatis Convalescentium de Urbe patrociniū gessit; ac denique non à Gregorio XIII. (ut perperam nonnulli referunt) sed ab ipso Pio V. anno eodem 1570. Mense Julio ad Prænestinam Cathedram translatus, vir amplissimus omni virtutum genere excellens, atque conspicuus Romæ anno redempti Orbis 1573. Quarto Nonas Aprilis, sacris Ecclesiæ mysteriis ritè expiatus, felicissimo fine migravit ad Dominum. Cujus corpus in Æde S. Mariæ de Anima Theutonicæ nationis humatum est cum hoc sequenti Epitaphio.

### D. O. M.

Funeris  
ejusdem in-  
scriptio.

OTHONI CARDINALI, TRUCHSESIO EPISCOPO, AUGUSTANO,  
SACRI ROM. IMPERII PRINCIPI INTEGERRIMO,

*Omnibus*

*Propter excelsas animi dotes, virtutem,  
Clementiam, prudentiam, pietatem, religionem,  
Affabilitatem, ingenique & morum præstantiam  
Amabili.*

*Obiit Anno M. D. LXXIII. IV. Nonas Aprilis.*

Ossa ejus postea ab Henrico Episcopo Augustano Romæ Dilin- gam translata, solemnī funere condita fuere eo in Templo, quod ipse non multo antè juxta Academiam sanè magnificum excitâ- rat, ut quam abiens, & peregrè moriens moestam reliquisset filiam, eandem deinceps saltem sui corporis reliquiis ceu optatissimo the- sauro consolaretur.

Scriptorum  
Elogia in  
Truchsesiū.

Longus profectio forem, si Scriptorum elogia, quibus lauda- tissimum Othonem nostrum extulerunt, hoc loco recensere vel- lem: unius tamen alteriusve breviter meminisse non pigebit. Car- dinalis Hosius in Epistola ad Henricum III. Franciæ & Poloniæ Re- gem de tanto viro sic loquitur: *Otho Cardinalis Truchsesius Episcopus Augustanus, vir conservanda religionis Catholica cupidissimus, pietatis & pauperum Christi non solum amicus, sed etiam amator eximius, cujus insignis sanctitas, & in Ecclesia doctrina tuenda, & conservanda zelus orbi testa- tus est universo.* Matthæus Raderus in vita Petri Canisii his eum verbis commendat: *Vir Consilio magnus, nec minus pietate; idemque maxima apud Pontificem maximum, & Casares autoritate; inclytum sa- cri purpuratiquè Senatûs Cardinalium Ornamentum; exemplum Præsu- lum; Catholici nominis in Germania restitutor & conservator; quoque major Episcopatus & Principatus gradu, tantò modestior in communi, do- mesticæque vita. Nemo tam humilis erat fortuna, quem ipse vel aditu, vel colloquio prohiberet; imò sæpè ultrò invitabat, agrèque ferebat, si qui in publicum prodeunti occurrentes majestate viri territi longius de via de- cederent, quos ipse accersitos ultrò compellabat, quam ob rem filii pa- trem fugerent, quos ipse quæriraret? Idem juventuti Germanicæ (cu- jus pietate, nobilitate, & frequentia plurimam delectabatur) Academiam*

condidit; Societati JESU, quæ illam regeret, & ad optimos mores, ac disciplinas erudiret, contubernium constituit. Periisset sanè Catholica Rhe-  
tia, & Vindelicia, nisi maturè his Provinciis cælestis Atlas humeros sub-  
jecisset. Ab Hieronymo Torrensi in Præfatione ad Confessionem  
Augustinianam hoc præconio celebratur: Otho Truchses de Waldt-  
burg S. R. E. Cardinalis Albanensis & Augustanus, Præpositus & Dominus  
Elwangeris, Germaniæ Protector, Religionem Catholicam Studiosè coluit,  
& ardenti studio defendit, & illius nomine varios labores & gravia susti-  
nuit pericula; Sæctariorum odium, minas, vim, tela, & injurias, religio-  
nis gratia minimè formidavit; pios homines, & doctos, qua summa polle-  
bat humanitate, clementia, & liberalitate prosequi, & ornare contem-  
debat. Ejus elogia agglomeratis laudibus pariter scripsere Paulus  
Jovius, Petramellarius, Antonius Sanderus, Spondanus, Orlandi-  
nus, Gretferus, Sacchinus, Mucantius & alii, quos omnes in addi-  
tionibus ac Ciaconium refert Augustinus Oldoinus, ad quem Le-  
ctorem remitto.

Unare infelix Otho extitit, quòd, cùm Gebhardum Truch-  
sesium nepotem reliquisset benè pièque educatum, suaque operâ  
ad Archiepiscopatum Coloniensem evectum; hic denique sub an-  
num 1582. à Scotino Præstigiatore depravatus, ejuratâ fide Catho-  
licâ, Agnetem Mansfeldiam Virginem DEO sacratam è Giresenio  
gynecæo abstractam atque imprægnatam, in uxorem duxerit, eâ-  
que propter sacro Colonienfis Ecclesiæ principatu ejectus, atque  
è Septemvirum numero expunctus, oppidis, arcibus, exercitûque  
spoliatus, eque fidelium communione & Christi consortio separa-  
tus, exul, miser, inops, & inglorius Argentorati consenuerit, &  
perierit. Quæ omnia fusiùs, eleganterque prosequitur Famianus  
Strada Decade 2. de bello Belgico lib. 5. ad annum 1584.

Edidit Otho Cardinalis Constitutiones salubres pro refor-  
matione Cleri & Populi Augustani.

Edicta plurima adversus hæreticos, Diœcesim suam infe-  
stantes. Ejus scripta.

Eo autore ex Græco in Latinum versus prodiit Tractatus S.  
Jo: Chrysoctomi de Virginitate, operâ Julii Pogiani.

Similiter Speculum Prasulis, operâ Claudii Jaii S. J.

Et liber Paridis Crassi de Cæremoniis Cardinalium, & Episcopo-  
rum in suis Diœcesibus.

Rursum Compendium doctrina Christiana: Explicatio Ecclesi-  
astici cultus, Missæ præsertim, operâ Petri de Soto.

Aliaque innumera ad tuendam fidem Catholicam oppor-  
tuna.

Eum celebrant Antonius Sanderus in Elogiis. Jo: Antonius Petramellarius in elogiis. Ni-  
colaus Orlandinus, & Franciscus Sacchinus in Hist. Soc. JESU. Stanislaus Hosius Car-  
dinalis de hæresib. Jo: Antonius Gabutius in vita Pij V. Ludovicus Domius de Attichy in  
Histor. Cardinalium. Aubery in vita. Hippolytus Marraccius in Purp. Mariana Con-  
telorius in Elencho Cardinal. Jacobus Pontanus in Atticis bellariis. Matth. Raderus in  
vita Petri Cansii, & alii multi.

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

FRANCISCO SFONDRATO  
S. R. E. CARDINALE.

LXIII. **F**RANCISCUS Sfondratus, natione Italus, Joannis Baptistæ Sfondrati Senatoris & Consilii Ludovici Sfortiæ Ducis Mediolanensis filius, natus est Cremonæ, nobili Italiæ urbe, anno salutis 1494. Franciscus ab ipsis adolescentiæ annis liberalium artium studiis in patria excultus, confecto feliciter tum Pijs, tum alibi Philosophiæ ac Jurisprudentiæ curriculo, utraque in facultate cumulatissimus juxta ac versatissimus Doctor & interpret evasit. Perpicacis enim & acuti ingenii, acerrimique judicii vir, cui accessit prudentia summa, singularis in agendis dexteritas, & incredibilis divinæ gloriæ zelus, & pietas, non modo apud vulgus, sed & inter Principes clarescere cœpit. Et primo quidem apud Carolum Allobrogum Ducem; à quo ex Comite Littoris, Larique, Consiliarius primum, deinde Senator constitutus, maxima quæque totius Ducatus negotia suæ fidei concredita habuit. Interjectis nonnullis annis Franciscus II. Insuabrum Dux viri famâ quaquaversum crescente commotus, ex Sabaudia magno stipendio evocatum, in ordinem Senatorum suorum adlegit, ac in legationibus ad Principes obeundis, maximisque negotiis expediendis ejus prudentiam non semel adhibuit; apud quem tantâ sensim invaluit auctoritate, ut nutu ipsius tota Mediolanensis respublica æquè ab ipso, atque à Duce regeretur. Duce defuncto, cum ad Carolum V. Imperatorem Mediolanensis Ducatus devolutus esset, Franciscus à Cæsare non modo suâ in statione confirmatus, sed & Cæsareus Consiliarius ac urbis Rector declaratus est.

Omen de  
Sfondrato.

Inter cæteros liberos ex Anna Vicecomite lectissima sœmina, uxore sua susceptos, eminuit Nicolaus immaturo & ultimo partu (ut Ciconius ait) editus; quem ad Philippum Meliorum nobilem Florentinum amicum optimum, Gymnasii Pisani moderatorem, Florentiam transmisit, ut sub ejus cura politioribus literis ac virtutibus à doctissimis præceptoribus imbueretur; ominatus pater illum sub tanti viri disciplina & doctissimum, & summum in Ecclesia virum evasurum. Nec fefellit de filio perspicacissimi patris vaticinium: Siquidem Nicolaus ob vitæ sanctitatem, doctrinam, ac rerum omnium cognitionem perfectam, anno salutis 1590. ad summum Apostolatus apicem, assumpto Gregorii XIV. nomine, ascendit.

Cæterum Franciscus uxore demortua, à Carolo V. Senas Legatus missus, ut Senenses difficillimis temporibus inter se civilibus discordiis dissidentes, suo consilio & auctoritate regeret, atque in ordinem redigeret; negotium commissum tantâ sapientiâ & dexte-

dexteritate confecit, ut à concordatis civibus ob egregiam navatam operam non modò civitate donatus sit, sed & publico elogio *Pater Patriæ* appellatus. Famâ hac eximiis ejus virtutibus comitatâ Romam perlatâ, Paulus III. Pontifex Maximus, hominis videnti ac præmiandi cupidus, Franciscum ad se accersitum, humanitèrque exceptum, Referendarium primò Apostolicum, tum post susceptos ordines Episcopum Sarnensem, inde Amalphitanum Archiepiscopum renunciavit; Nunciùmque direxit in Germaniam primò ad Conventum Spiræ indictum; deinde ad Carolum V. Imp. ut nomine Pontificis de pace cum Francisco Galliarum Rege peractâ gratularetur. Ibi consistentem Pontifex Presbyterum Cardinalem titulo SS. Nerei & Achillei, deinde S. Anastasiæ creavit; eidemque de Abbatia S. Mauri ad Padi ripam providit. *Cardinalis creatus ad Carolum V. donò legatur.* Acceptis Romæ Cardinalatûs insigniis, iterum ad Carolum Imperatorem pro reducendâ ad sedem Apostolicam Angliâ Legatus missus, summo studio, ne Caroli scriptum *Interim* dictum promulgaretur, curavit; qua occasione doctissimis suis disceptationibus mirabiles adversus Lutheranæ hæresis defensores progressus fecit, convictis ac reductis eorum compluribus ad sanam fidem.

In Italiam redux Perusii, Cremonæ, & locis ejus temporali dominio subjectis legatione functus, Laquedonensi, Caputaquenssi, & Cremonensi Sacerdotio ab ipso Paulo munificentissimo Pontifice donatus est. Porrò tantæ fuit apud Principes, ac præcipuè purpuratos Patres existimationis, ut Paulo sub annum 1550. è vivis sublato, parùm abfuerit, quin in proximis comitiis Apostolicis, quibus interfuit, summam rerum adipisceretur. Soluta post Julii III. electionem comitio, ad Ecclesiam suam Cremonensem secessit, eamque cum optimè, integerrimèque regeret, morbo ex multis laboribus contracto tentatus, ac superatus, vale, dixit huic sæculo pridie Kalendas Augusti anno Christianæ æræ 1550. ætatis 57. in Cathedrali ejusdem urbis humatus, ac insigni epitaphio, vitæ ejus seriem continente, à filiis donatus.

Scriptit egregium Poëma Heroicum de Raptu Helenæ, Venetiis anno 1559. typis evulgatum. *Ejus scripta.*

Decisiones Juridicas, quæ extant M. S.

Orationes plures in legationibus habitas.

Epistolas varias ad varios.

*Agunt de eo Ludovicus Cacicellus in Annal. Cremonens. Antonius Sanderus in Elogiis Cardinal. Felix Contelorius in Elencho Cardinal. Sfortia Cardinalis Pallavicinus in Histor. Conc. Trident. Auberius in vita. Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Hist. Pedemontana. Ughellius in Italia sacra, & in addit. ad Ciac. & alii.*

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## NICOLAO ARDINGHELLO

S. R. E. CARDINALE.

LXIV. *Ardinghellus quis?* **N**ICOLAUS Ardinghellus, natione Italus, patria Florentinus, Petri Ardinghelli primariæ nobilitatis viri ex Joanna Segnia illustri fœmina filius, anno reparatæ salutis 1503. natus, generis sui nobilitatem virtutibus, doctrinâ, & pietatis studiis plurimum auxit. Acerrimi iudicii vir maternâ, Latinâ, & Græcâ linguâ absolutè excultus, Juris utriusque consultissimus, ad optima quæque studia proclivis, in rebus doctissimis Romæ sub auspiciis Alexandri Cardinalis Farnesii versatus est eò usque, donec Alexander sub annum 1534. summum sacerdotium adeptus, orbi Christiano sub Pauli III. nomine præfedit.

*Fit Cardinalis.* Itaque Alexander in Petri solium evectus, ne Ardinghella studiis suis deesset, eum nepoti suo Alexandro Cardinali Farnesio à secretis & ab epistolis esse voluit. Quo in munere, cum partes optimi, integerrimique viri cum emolumento Farnesianæ domûs explisset, ad preces Heri sui à Paulo Pontifice consecutus est primò Canonicatum Florentinum, mox Piceni Vicariatum; demum Infulam Forosemproniensem. Paulus postea cupidus firmandæ inter Carolum V. & Franciscum I. pacis, Ardinghellum à privatis consiliis in Galliam ad Regem pro ineunda pacis concordia Nuncium direxit. E Gallia redux, mox Farnesio Cardinali in Hispanias Legato comes itineris datus, cum eo Hispaniam, Galliam, atque Germaniam peragravit; cujus consilio & opera Farnesius in arduis suæ legationis negotiis ita semper est usus, ut quidquid Farnesio Ardinghellus faciendum suaderet, id Farnesius ratum nulla hæsitacione haberet, exequereturque. Ad urbem reversus, ob egregiam pro Romana Ecclesia navatam operam, supplicum libellis præfectus; mox propter multiplicem doctrinam, & singularem linguarum peritiam S. R. E. Cardinalis titulo S. Apollinaris à Paulo renunciatur.

*Ejus mors.* Tres tantum annos purpuram virtutibus suis Ardinghellus illustravit, cum ecce in medio honorum & annorum curriculo fatali febre corripitur Romæ, & eripitur die 23. Augusti anni 1547. annos natus nonnisi quatuor supra quadraginta, ut habet epitaphium mox afferendum contra Ughellium, qui Ardinghellum senem decrepitem fatis cessisse Scribit. Corpus ejus in Ecclesia S. Mariæ ad Minervam sepultum, à posteris hoc meruit elogio exornari.

D.O.M.

## D. O. M.

NICOLAO ARDINGHELLO FLORENTINO,

*Primaria Nobilitatis Viro,*

Epitaphiũ.

*Quem Juris utriusque consultissimum;**Omniq; virtute, ac sapientia laude præstantem;**Ad Episcopatum Forosemproniensem profectum,**Cum PAULLUS III. Pont. Max.**Piceno primũ**Cum honore vicaria legationis imponeret;**Deinde supplicum libellis præficeret;**Demum in sacrum Collegium adoptaret;**Titulõque S. Apollinaris insigniret;**Non tam hominem, quàm honorem cohonestasse visus est.**Annos natus quatuor & quadraginta,**In medio virtutum, & honorum curriculo ereptus,**Acerbum sui desiderium reliquit omnibus.**Decimo Kalend. Septembris M. D. XLVII.**Alexander Russolus**Bartholomæi, & Maria Ardinghella filius**Ob memorem erga Consanguineum optimum voluntatem**posuit Anno post conditam salutem**M. DC. I.*

Quædam politioribus literis admodum utilia, quæ hinc inde sine nomine circumferuntur, scripsisse, refert Michaël Pocciantius de Scriptoribus Florentinis.

Scripsisse etiam Italico sermone epistolas plures Cardinalis Farnesii nomine, quæ ob styli elegantiam, & rei, quam tractant, gravitatem in lucem datæ, à viris doctis cum voluptate leguntur.

Scripsit quoque librum de Negotiatione sua pro pace ineunda inter Carolum V. Imperat. & Franciscum I. Gallix Regem mediante summo Pontifice Paulo III.

Orationes item plures ad diversos Principes in legationibus habitas, Latino & Tulco sermone.

Poëmata; Epigrammata &c.

Agunt de eo Petrus Victorius in epistolis. Aubery in vita. Panyinius de Rom. Pontif. Ludovicus Jacobus à S. Carolo in sua Bibliotheca Pontificia. Felix Contelorius in Elencho Cardinal. Ughellius in Italia sacra, & in addit. ad Ciac. Aliique.

ANNO 1534.

SEDENTE PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

HENRICO LUSITANIÆ REGE  
S. R. E. CARDINALE.

LXV. **H**ENRICUS Felicissimi Regis Emanuelis ex Regina Maria Castellana opimarum virtutum laude inelyta filius, Olyssipone in lucem editus die 31. Januarii anno 1512. ortum habuit cælesti prodigio insignem. Tradunt enim Hieronymus Oforius Silvius Episcopus, & alii rerum Lusitanarum historici, eodem die, quo hic primam lucem aspexit, civitatem Olyssiponensem, in qua propter summam cæli temperiem monstro simile est, partem aliquam nivis intueri, plurima nive conspersam fuisse. Quod multi, nec vano augurio, sic interpretati sunt, ut infueto hoc quasi portento mentis candor, vitæ puritas, & continentia, virtutisque fœcunditas, quæ in eodem Principe mirabiliter, ut paulo mox audituri sumus, eluxit, cœlitus præmonstratur.

*Cœlitus  
præmon-  
strantur e-  
jus futura  
dotes ani-  
mi.*

*Pluribus di-  
gnitatibus  
Ecclesiasti-  
cis præest.*

Henricus in ipso juventutis flore Latinis, Græcis, Hæbraicis literis apprime institutus, Mathematicæ postea, Philosophiæ, ac Theologiæ studiis operam dedit. Annos natus viginti assumpto Clericali habitu, DEO militaturus Ecclesiæ castra adiit: Primum sanctæ Crucis Conimbricensis maximus Prior renunciatus, fratre Alphonso Cardinale, qui Prioratum gerebat, ultrò cedente, disciplinam in gravi illo monasterio decursu temporis collapsam saluberrimis legibus ac statutis restituit; in Templo, & in communi domo magnis expensis vel diruta restituit, vel nova erexit opera, quibus ad veterem magnificentiam plurimum accessit decoris, ac ornamenti regii. Quin & ab ipso Prioratu suo, magnâ liberalitatis significatione, non levem reddituum partem detrahi iussit, quam Cœnobio addidit, de suo potius gregem, quam de gregis vellere se communiens. Abbas deinde fit plurimum Cœnobiorum Ordinis Divi Benedicti, maximè verò Albocatiæ, ac totius Sancti Bernardi familiæ præcipuus Superior per Lusitaniam; eam ad genuini Spiritus vigorem, magno & ipse spiritu vicens revocavit. Sed & militaribus Ordinibus Christi, Divi Jacobi, & Avisiano præficitur, magnoque eorundem ordinum profectu, suam optimus Princeps commendavit præfecturam.

Ita quasi ad altiora dignitatum decora proludens, paulò post Bracaræ primùm Augustæ Archipræsul, deinde Hispaniarum Primas summo Christianæ reipublicæ bono constituitur; Ubi prima cura fuit prædecessoris sui Didaci de Sousa famulos, quasi proprios fovere, ac beneficiis congruenter afficere: Deinde omnem animi conatum in munus pastorale intende-

re,

re, quod summa vigilantia ac prudentia laude obiit, totam ipse per se provinciam lustrando, ac in Subditorum, maximè Ecclesiasticorum errata diligenter inquirendo, quibus vel supplicio si opus erat, vel lenitate medebatur. Pastoris optimi nullum detrectavit *Pastoris optimi officium* munus: Propria manu cæleste pabulum in Templis dividebat, ac deferebat ostiatim ad ægros: lustrali fonte fidelium ritè expiabat *sacer.* infantes, & quorumlibet undequaque venientium confessionibus audiendis, semetipsum publicè exponebat. Archiepiscopus renunciatus nihil antiquius duxit, quam ut Judæos omnes, ac Sarracenos aut ad professionem Catholicæ fidei perduceret, aut pertinaces è finibus regni Lusitanici exterminaret. Idque tanta cum prudentia, ut omnes impiorum hominum versutissimos conatus eluderet; tanta integritate, ut nemo quod cavillaretur, haberet; tanta severitate, ut malos exterreret; tanta rursus clementia ac mansuetudine, ut non paucos ad sanitatem & resipiscentiam pelliceret. Atque hos quidem quanta benevolentia complecteretur, quibusve beneficiis prosequeretur, quod sequitur, illustri argumento esse potest. Cùm duo nobiles Mauri jam adulta ætate ad fidem nostram conversi, baptismi beneficium postularent, non solum eos obvius ulnis recepit, sed ipse Pontificalibus ornatus infulis, die festo Pentecostes Eboræ in Ecclesia sua Cathedrali salutaris aqua lavacri tinxit tanta celebritate, ut si filii fuissent fratris Regis, fieri non potuisset honorificentius: Præterea alterum in familiam suam honesta conditione adoptavit; alterum Regi in clientelam dedit.

Coacta Synodo in reformationē Ecclesiasticæ disciplinæ multum dissolutæ seriò incubuit, eique novis constitutionibus ne relaberetur, providentissimè cavuit. Synodalem verò pecuniam tum ad puellas periclitantes parentibus orbatas honestis matrimoniis collocandas; tum ad scholas publicas extruendas contulit, quibus probatos ad humaniores literas pueris tradendas magistros consultò præfecit. In electione Visitatorum, ac cæterorum ministrorum, quorum operâ in administratione sui muneris utebatur, virtutem præcipuè, doctrinam, dotes spectabat animi; atque ut hæc de singulis certò constarent, parvi faciebat, si magno id sibi, vel sumptuum, vel beneficiorum pondere staret. Nobile illud Augustæ sedis Templum pretiosis tum vestium, tum vasorum ornamentis nobilius reddidit; ac cæteram urbem variis operum structuris illustravit.

Postea generalis fidei Inquisitor fit fratre Joanne III. Lusitanix Rege apud Pontificem procurante. Quo in munere ita se vigilantem ac strenuum præstitit, ut integram sinceramque fidem, qua potiuntur hodie Lusitani, illi uni post DEUM acceptam omnino referre debeant. *Generalis fidei Inquisitor.* Eo namque fatagente pestilens malum hæresis, quod vicina regna vel oppugnaverant, vel infecerant, nescio qua vi Numinis pulsam Lusitanix fines horruit. In eo verò præcipua ipsius desudabat industria, ut noxiis tum libris, tum hominibus in hæc regna aditum terrâ marique præcluderet; actumque sæpius, ut per strenuos circumspectosque ministros suspe-

Starum navium etiam præveniret appulsus; totque in eas quæstionibus agebatur, tam exacta de libris, de personis pericula fiebant, ut apud nationes hæresis labe notatas, præconis voce ad tubarum clangores vetaretur. *Ne quis in Lusitaniam libros, aut res quaslibet ad hæresim quomodocunque spectantes sub pœna capitis importaret.* Sacrum inquisitionis munus auctoritate præcipua fulciebat, ejusque ministros, quos non nisi maturo consilio, ac tuta probabat experientia, non modo honorificè tractabat, sed beneficiis & favoribus à summis etiam Pontificibus impetratis prosequeretur: Hos præcipuè, qui sacro muneri vacabant, suis alebat expensis, & privata in eisdem cura, ad honorum dignitates ac præfecturas sedulo promovebat.

Hunc virum virtutibus non minùs, quàm genere illustrem Cardinalium Collegio adscribere Paulus III. Romanus Pontifex anno 1545. decreverat: Quibusdam ex Cardinalibus hujus in Vaticanum Senatum cooptationem in aliud tempus rejiciendum putabant. At Sadoletus non differendam censuit; tum quia de plurimis magnisque ejus virtutibus ad doctrinam Religionemque spectantibus multa sæpè intellexerat; tum quia illius Regis frater erat, qui verè Rex Christianus nuncupari poterat, ab omni-  
*Cardinali-  
ziam purpu-  
ram adst.* que Christiani sanguinis labe purus Christianam fidem longè lateque propagandam curabat. His ergo permotus rationibus Paulus die 16. Decembris anno Christi 1545. ætatis 33. Presbyterum Cardinalem titulo SS. Quatuor Coronatorum nominavit. Cùmque Eboræ Episcopalis tantum Sedes vigeret, placuit Joanni Regi ob honestas rationes, ut in Archiepiscopalem Apostolica auctoritate mutaretur, eique primum Henricum fratrem præponi curavit. Primus ergo Ebovensis Archiepiscopus factus Henricus, ut plus temporis ad residendum, opum etiam plus ad benefaciendum nactus est, ita plus animi ac facultatum ad officia pastoralia conferens, excellentissimi Præfulis vivum mundo exhibuit specimen. In primis lectissimos undequaque coëgit ministros, quorum & literis, & virtute Ecclesiam Ebovensis condecoravit: In eoque enituit optimi Præfulis opera, ut splendor divini cultus augetur amplius, & celebriori quàm unquam antea ritu divina quæque munia peragerentur. Communis Xenodochii curam ultrò assumpsit; domum, quam vocant *Misericordia*, stans temporibus largis fovebat elemosynis; idque non modò Eboræ, sed & aliis per totam Diocesim oppidis medicamenta jubebat ex communi apotheca sua in pauperes ægrotos distribui. Majoribus solemnibus Nativitatis, Paschæ, Pentecostes, ac Virginis assumptæ, in viduas, pupillos, inopes, peregrinos largas effundebat pecunias; adversus hyemis inclementiam commodis vestibibus operiebat pauperes. Zelo etiam fervens spiritualis boni, literis ac virtute præstantes destinavit viros, qui per totam Diocesim concionabundi discurrerent; eisque modum tractandarum animarum ipse præscribebat, & jus dabat experiendi & examinandi communes Parochos, essenteliteris sufficienter instructi ad rationem sui muneris ritè obeundam; ac si opus esset, substi-  
tuen-

tuendi alios idoneos in eorum locum. Jacebat enim tunc Trans-  
stagnana regio in summa rerum incitia, paucique admodum e-  
rant, qui quaestionum moralium sufficientem ac necessariam ha-  
berent peritiam. Horum ignorantiae, amotis indoctis, ac substi-  
tutis aptioribus paternè occurrebat.

Cœperat per id tempus in regno Lusitanico primas sedes pone-  
re recens exorta Societas Jesu, cujus homines audierat optimus Soc. Jesu  
Præful, ex propria instituti sui ratione ad juvandos proximos esse Patrum o-  
formatos. Nihil ergo moratus, accersitos ad se spargit illicò per pera in pro-  
oppida, & vicos suæ Ditionis, ac illa eadem, quæ diximus, erga curanda sa-  
proximos commendabat officia. Quam in re ita fructuosè desuda- lute anima-  
runt luce doctrinæ, & exemplo vitæ, ut intra paucos menses, co- rum strenuè  
operante Deo, non solum alia rerum facies apparere; sed etiam ex-  
pulsis tum vitiorum, tum depravatorum morum tenebris, nova  
virtutis ac pietatis lux exoriri iis populis cœperit. Qua re permotus  
Henricus, ulteriùs altiùsque Institutum Societatis Jesu perpen-  
dens, ac modum procedendi tum domi erga Deum, tum foris er-  
ga proximos probatum ac ratum habens, cogitata sua (quæ nuper  
quasi augurans Eboræ præceperat, erecto Collegio ad alendos Cleri-  
cos, qui postquam moribus ac literis profecissent, diocesium juvare  
possent) huc tendere Numine impellente interpretatus est, hósque  
quasi fatis signatos Clericos planè agnoscens, iis dictum Collegium  
tradidit, exiguis quidem adhuc numero, sed ministerio, quod agi-  
tabant, vividam virtutem præferentibus. Crevit ergo opus Dei:  
nam anno 1559. Collegium ampliavit ad sumptuosam usque mo-  
lem; junctumque Collegio Lyceum Academicum extruxit, in quo  
cum majestate operis pulchritudo artificiosa certat. Atque ut  
communia hominum invitaret studia, magistros in primis è Socie-  
tate Jesu esse voluit: deinde annuos redditus, & ex illis congruas  
portiones tum Theologis, tum Philosophis assignavit. Itaque eo  
brevi ventum, Deo benè adjuvante, ut Collegium centum viginti  
religiosos homines congruis redditibus ac stipendiis aleret, & Aca-  
demix sacræ in primis, ac moralis Theologiæ, deinde Philosophiæ,  
& humaniorum facultatum vocibus, magno cum bonorum ap-  
plausu personaret. Prodiere hinc sensim Doctores quamplurimi,  
literis, virtutibus, ac libris etiam editis præstantes, quos hodièdum  
erudita per orbem fama concelebrat; prodiere & innumeri spe-  
ctatæ virtutis, ac scientiæ Præfules, Abbates, & Parochi, qui ma-  
gno reipublicæ Christianæ emolumento, fructuque animarum va-  
rias Ecclesias, cœnobia, urbes, & oppida illustrarunt. Quæ omnia  
Henrici Cardinalis tum in Ecclesiam Catholicam, tum in Societa-  
tem Jesu beneficia præclari Scriptores, Hieronymus Conestagijs,  
Andreas Victorellus, Nicolaus Orlandinus, Franciscus Sacchinus,  
& alii suis in commentariis copiosa laude, ut par est, divulgaverunt.

Dum autem Henricus Eboræ optimi Præfulis officio fungitur,  
moritur Olysiippone Ferdinandus Vasconcellus, qui sedi illi præfue-  
rat Metropolitanæ: Oportebat verò Henricum Olysiippone ad gu-  
bernacula regni (cui adhuc Sebastianus Rex immaturus erat) af-  
fidere. Idcirco summi Pontificis autoritate ab Eboresi Ecclesia

*Advocatus à Regina vi-  
dua ad Regni  
Guberna-  
cula.*

transiit ad Olyssipponensem, hoc est, ab opulentiori ad minùs opu-  
lentam, ut quia Olyssipponense reipublicæ benè administrandæ occa-  
sio frequentior erat, gregem suum inde meliùs pasceret, remque  
sacram opportuniùs provehere posset. Evocaverat siquidem eum  
Regina Catharina, quæ pro demortuo Joanne Rege marito suo re-  
gnum administrabat. Tædio namque rerum humanarum, ac pon-  
dere annorum religiosissima Princeps pressa, statuerat se ipsam col-  
ligere, ac nuncium profanis negotiis mittere. Igitur convocatis  
Proceribus, in publico regni conventu, rerum ultrò reliquit ha-  
benas.

Porrò non fuit perplexa, aut difficilis regni Proceribus de suc-  
cessore deliberatio, cum haberent præ oculis Henricum Principem,  
in quem ob id communibus suffragiis tota regni gubernatio, dum  
puer Sebastianus adolesceret, collata est. Gratulatus est orbis ter-  
rarum per publicos Legatos tanto Governatori; isque, ut erat pru-  
dens ac pius, suo muneri magna cum populorum gratia plenissimè  
satisfecit. Nam semetipsum exponebat publicè ad communia ex-  
pedienda negotia, Magistratùsque, ut idem facerent, suo cogebat  
exemplo; actumque per id tempus, ut nullius etiam tenuissimi de  
plebe causa periret. Quin & illud memorià æternà dignum sta-  
tuit, (quod sanctissimus Franciæ Rex Ludovicus IX. præstare olim  
confueverat) ut si de Regis, ac privati hominis bonis æqua juris  
controversia incideret, potiùs de jure regio, quàm de privato de-  
traheretur. Egit nihilominus ita prudenter ac gnaviter rem ipsam  
publicam, ut cum magno antea ære alieno gravaretur, ipse sex an-  
norum spatio, quibus ad clavum sedit, omninò liberam à commu-  
ni illo onere, atque adeo florentem constituerit. Igitur ut fuit  
regno habilis Sebastianus nepos, regnum illi felici pace gaudens,  
opulentumque solemnè ritu tradidit, ac se ad Ecclesiastica munia  
liberè curanda convertit. In urbe Olyssipponensi celebrerrimum  
Xenodochium erexit pro infirmis Observantibus: & Romæ in Ti-  
tulo suo stratum auro contactum, cœlatum, & affabrè elaboratum  
propria impensa ædificari curavit.

*Sebastiano  
Nepoti Re-  
gno jam  
maturum  
illud tradit  
curandum.*

Jam tunc Successor ejus Eboræ Mellius fatis cesserat; isque ad  
sedem iterum rediit Eborensem: certà quippe divini Numinis pro-  
videntià plura obibat munera, plures lustrabat diœceses, ut eas  
suà præsentia, exemplòque vitæ sanctificaret, reformaret, conde-  
coraret. Verùm in hoc suo ad Eborensem Ecclesiam reditu, id  
unum avebat animo, se ut impensius Deo traderet: idcirco ex-  
ceptus ritè, & iterum evectus à Clero in sedem Eborensis Ecclesiæ,  
Collegium Societatis elegit in domiciliū, in quo parvo cubiculo con-  
tentus, cum Religiosis hominibus colloqui, ac familiariter agere in  
delitiis habebat. Itaque sacrum quotidie peragebat publico in  
Templo, ubi non semel Eucharisticum populo divisit epulum, ac  
secedens ad agendas Deo gratias in sublimi Odæo, non discede-  
bat inde, dum sacra continuo decursu perdurabant; videlicet  
reputabat indecens, si relicta in aliquo altari consecrata hostia ab-  
iret in cubiculum. Unde necessarium duxere Patres, post unum  
finitum sacrum, aliquid more interponere, quò bonus Princeps  
libe-

*Collegium  
Soc. Jesu  
eligit in Do-  
micilium.*

liberè discederet. Exercebat Spiritum stas horis per commentationes pias; bis diebus singulis examen subibat conscientia; lectioni SS. Patrum, maxime eorum qui Spiritum fovent, studebat sedulo. Non semel illum cubicularii famuli ante sacram Crucifixi imaginem provolutum in genua, ac flagris se inter suspiria & lacrymas dure verberantem deprehenderunt. Quo tempore vero religiosi homines ad flagellationes communes in Templo conveniebant, is erat à superiori loco socius tam pie exercitationis. Nihil æquè sibi gratum, quàm nosse, quo fructu concionatores à se missi per vineam Domini excurrerent ad salutem animarum: eademque significatione voluptatis excipiebat redeuntes, ac manipulis collectis inter plurimas à Deo effusas gratias applaudebat.

Illud vero in Henrico Principe omnem superat admirationem, *Ut Religio* quòd in iis quoque se virtutibus illustrem præbuit, quæ statùs *sus vivit.* religiosi naturam per se constituunt, à regioque magis abhorreere videntur. Amabat ergo paupertatem, ac pro divitiis habebat inopiam. Itaque vestibus gaudebat attritis, ac si opus erat, eas etiam sarciri curabat: sed neque in regni fastigio positus meliores assumpsit: aiebat enim religione se teneri, sumptus etiam leves in se ornando facere, cum tot Lusitanorum pauperum greges in captivitate jacerent. Igitur sola sua frugalitate contentus, amplos redditus, & regales opes, quibus affluebat, eò tantum curabat, ut & publicis, & privatis necessitatibus pauperum essent frugifera. Hinc evenit, ut ex annuis redditibus, qui ad centum & octoginta millia aureorum pertingebant, solum triginta millia sibi ac domesticis reservaret, quæ supererant, vel in pauperum usus, vel in Ecclesiarum & cœnobiorum subsidia effundebat: documentum sane non imprimendum leviter, sed altè figendum animis eorum Principum Ecclesiasticorum, qui liberales in sanguinem, strukturas, venationes, theatra, & vanitates audiunt; in pauperes vero, Religiosos, & sacra ædificia avari, tenaces.

Quid de virtute castitatis præcipua memorem, qua mundo se *Castitate* Henricus exhibuit Angelum? sane non illum minore jure celebra- *Angelus.* verit fama Angelicum Principem, quàm Doctorem Angelicum celebrat Thomam Aquinatem: nam cum decumberet aliquando lassus ab itinere, suo in strato, repulit, non secus, ac ille, incredibili animi vigore introductam à pravis amicis miræ venustatis sed petulantis animi sceminam, quæ pulchrum pudicitia; florem aut decuteret, aut inficeret. Repulit, inquam, effrons scortum pugnis, verbis, ac famulorum sustibus; intromissores vero cum infamia aulâ exegit. An non facinus hoc cedro dignum?

Jam de obedientia illud in Henrico afferam valde laudabile. *Obediens ad* Erat is præterquam quòd Archiepiscopus, & Generalis fidei Inqui- *miraculum.* sitor, etiam Cardinalis tituli SS. Quatuor Coronatorum, ac perpetuus in regno Lusitania; à latere Legatus. His omnibus titulis Apostolicæ Sedi se debitotem agnoscens, ejus in primis supremo capiti Pontifici Maximo perfectam obedientiam exhibebat, observansque sedulo quò propenderet voluntas ejus (quæ magni ponderis est ad obediendum cognatio) curavit semper, ne latum unguem

ab ea discederet. Ad ea verò, quæ illi parùm grata fore suspicabatur, ne literas quidem commendatitias impetrare quis poterat. Significavit ultimò piïssimus Princeps animum suum hunc ad obediendum proclivem, legatione illâ, quam moriens in mandatis dedit, ut duo è Societate homines peregrè Romam suo nomine abirent osculatum pedes Sancti Patris, ut qui per se non poterat, per alios Religiosum hoc præstaret obsequium.

*Studet Indoli Regis Juvenis moderanda.*

Nota res est, quanta mole infudaverit Cardinalis Henricus, ut Sebastiani Regis pronepotis sui juveniles impetus, ac indolem, excellentem illam quidem, sed aliquantò præcipitem temperaret, præcipuè que fatalem illum in Africam transitum, nunquam à se probatum, impediret. Vadunt nihilominus res humanæ, in quibus libido impotens est dominator, cursu ad perniciem (Deo sic permittente) irrevocabili. Tenuit Africam Sebastianus Rex egregio instructus exercitu, stipatúsque præcipuo nobilitatis Lusitanicæ, bellum, quod inconsultò ardebat, feliciter aggressus est. At quæ prima dies sub auroram eum victorem dedit, eadem sub vespèrum, dum bellum instauratur, victum ostendit, armisque, & vitâ, & regno exutum. Fato quidem eò arcerbiori, quòd nec interfecti cadaver post pugnam inventum. Res mira relatu de hoc Rege à Scriptoribus circumfertur, quam, quia huc facit, paucis per digressionem aperiam, priùs enarratâ breviter Sebastiani vitâ & pugnâ.

*Sebastianus Rex occumbit in bello.*

Fuit Sebastianus Lusitanicæ Rex, filius posthumus Joannis, natus anno 1554. ex Joanna, filia Caroli V. Imp. Successit avo Joanni III. fidei Christianæ zelo, & animi magnitudine inclyto. A Mahomete contra patruum suum Abdemelechum Fezzæ, & Maroci Regem suppetias rogatus, cum flore nobilitatis in Africam trajicit anno 1578. hostem aggreditur, fundit, fugatque. Eâdem die instaurato prælio, vincitur ipse, & occiditur, ætatis anno 25. quo prælio & ipse Mahometes, dum fugam tentat, paludibus mergitur; & victor Abdemeleachus Saucius in lectica moritur. Nobilitata fuit hæc pugna triplici funere regio, peracta quartâ Augusti die anni 1578. ad Alcaceram. Corpus Sebastiani diu conquistum, nusquam inventum. Interim venit Venetias anno 1598. qui se hunc Sebastianum diceret: quem vultu, voce, lingua, gestu, statura tam exactè referebat, ut à Lusitanis ibi degentibus pro Rege suo indubio haberetur. Paulò post detentus, ac quæstioni admotus, idem constanti animo confirmavit, ostensis etiam in corpore notis indubitatis, quæ in vero Sebastiano priùs erant animadversæ. Imò res maximè arcanas, quas cum Venetorum Legatis olim contulerat, Senatui obstupefacto aperuit, ut fidem tantùm non impetraret. Sed tantum valuere Hispani apud Venetos, ut ab iis tanquam impostor urbe pelleretur. Tum in Tuscia captus, Neapolimque abductus, ibi omnibus ludibrio fuit, in asino per urbem circumductus. Postea rufus & ad triremes damnatus; tandemque in Hispaniam abductus, ibi in vinculis periit; frustra Regem suum Lusitanis repentibus. Hæc Antonius Vasconcellos in Historia Lusitanica, & alii. Nos ad institutum revertamur.

Igitur

Igitur infelicis exitûs mala fama in Lusitaniam perlata, mox ut Henrici Cardinalis implevit aures, gravi dolore fauciatum, per suspiria & gemitus effudit cor; jacuitque in squallore & luctu desolatus tam diu, donec per regni Proceres coactus est humeros collabenti reipublicæ supponere. Quare Albocatiâ, in quam per id tempus diverterat, relictâ, Olyssipponem illicò se contulit, quam urbem solo suo aspectu moerentem, in spem erexit, exhilaravitque. Curavit is primò, ut accitis è toto regno jurisperitissimis hominibus fieret actutum de successore deliberatio. Eorum autem omnium hæc una fuit vox, *Henricum Cardinalem legitimo jure Sebastiano Regè succedere, quòd unicus esset superstes Regis Emmanuelis filius, ac frater Joannis Regis, avi Sebastiani.* Hoc Sapientum hominum constanti decreto præmissò tulit Henricus Cardinalis nosster, evehi se ad regni Lusitanici fastigium.

*Rursum Re-  
gni oneri-  
bus hume-  
ros suppone-  
re cogitur.*

Festinaturn itaque est ad ritum inaugurationis, quæ peracta fuit eo modo, quem describit Conestagijs. Henrico more veterum, ipsam urbem Olyssipponensem celebri pompa ingresso, anno 1578. circa finem Augusti Templo Hospitalis omnium Sanctorum aulais sericis ornato, & pegmate extructo, sella regia in eotela aurea tecta collocata est. Eò ascendit Rex tempore antemeridiano, habitu Cardinalis indutus: egredientem è palatio octo tympana ænea, & novem præcones equites chlamydibus, quibus insignia regia inserta erant, amicti præcedebant. Sequebantur pedites ferè omnes, ministri aulici, Camerales, & alii Magistratus. Hos itidem sequebatur Dux Bragantiæ generoso insidens equo, aperto capite, & manu ensen vaginâ aureâ insignem, tanquam Conestabilis, gestans. Post hunc Cardinalis ipse, veclus mulâ mirè exornatâ, cujus habenas tenebat Alvarus Sylvius, Comes de Portalegre, magnus Aulæ Magister, Postremum agmen clauderant Principes ac Proceres regni, nobiles itidem & equites, suis omnes ordinibus distincti; tum ingens famulorum caterva. Cardinalis regali multitudine stipatus, ad gradus Hospitalis descendit, ingressusque Templum, postquam aliquantulum orationi vacasset, concenso pegmate sedem ad id paratam occupavit: statimque accedens Franciscus Sad, regni Gubernatorum primarius, sceptrum ipsi de genu tradidit. Michaël verò Morus, regni Cancellarius, in loco paululum à sede regia remoto, clara voce ex scripto legens dicebat; Regem Henricum, mortuo Rege Sebastiano, in regno legitime succedere, & eam ob causam regium ipsi sceptrum tradi; eumque paratum esse præstare solitum juramentum de conservandis privilegiis, immunitatibus, & conventionibus, à Majoribus suis concessis. His dictis in genua ante Regem cum libro Evangelii aperto procubuit: cumque Rex manu libro impositâ, se superiora omnia sanctè observaturum jurasset; tympana strepitum, tubæ clangorem, campanæ sonitum, tormenta fragorem maximum edidère, totâ populi frequentiam in festivas voces solutâ: *Vivat, regnet, triumphet Henricus à Deo electus Rex Portugallie.* Quibus verbis auditis, Rex ab iisdem quibus antè comitatus, sceptrum manu gestans, ad palatium, tympanis ac tubis præsonantibus,

*Inauguratio Henrici in Regem.*

tibus, & præconibus superiora verba per intervalla repetentibus, reversus est.

Inauguratus vix fuerat Henricus, cum illicò intendit animum in miserrimum regni statum, sua virtute restaurandum: jamque viduæ hinc inde accurrebant, quarum maritos, vel inopinata nupera clades abstulerat, vel barbara tellus captivos detinebat: pupillos audiebat ejulantes, quòd patriis æquè bonis ac patribus carebant; captivorum ex Africanis ergastulis ingeminatos clamores penè auribus usurpabat. Verùm qua erat animi magnitudine, nec stupore detentus est, nec hæsit in angustiis, sed singulis necessitatibus affuit aut consolator, aut restitutor idoneus. Quod verò omnium caput est, extemplo legationem expedit ad Regem barbarum, tam magna opum vi celebrem, ut ducentis aureorum millibus fuerit æstimata: quò factum, ut Maurus auro illectus citra moram octoginta præcipuæ nobilitatis viros dimiserit liberos. Sed eo non contentus Henricus, modis omnibus egit, ut cætera quoque captivorum turba patrio solo restitueretur: qua in re usque adeò nec laboribus, nec sumptibus pepercit, ut crediderit Africa, Regnum Lusitanix nec viribus attritum, nec opibus imminutum esse; & jure adhuc ita benè valens, ac prosperum timuerit.

Actum interim à regni Proceribus de Regis Henrici matrimonio, quo legitima aliqua proles regno in extremis constituto daretur; idque maximè illi urgebant, quòd unicam, aut saltem expeditiorem viam esse ducerent stabiliendæ pacis publicæ, & eliminandarum turbarum, ac factionum, & quæ ex illis secuturæ essent, calamitatum, si successio post Henrici mortem incerta remaneret. Ille rem omnem tum Medicis, tum Theologis hac lege remisit, ut illi an spes ulla prolis in fene esset? isti an tutâ conscientia vinculo cœlibatûs Sacerdos solvi posset? judicarent. Medicis spem prolis non dubitanter affirmantibus; Theologis in re tanti ponderis Pontificem consulendum judicantibus, utrisque ægrè assensum præbuit. Ne tamen ullo pacto in re maximi momenti, aut reipublicæ, aut ruenti regno deesse videretur, Romanum Pontificem per legationem consulere; atque ab ejus edicto firmiter stare decrevit. Dum hæc aguntur, Deus optimus maximus, sive piam perplexi Principis mentem respiciens, quia non spontè, sed gravanter admodum, de adeundis nuptiis deliberabat, Henricum immissâ febri sensim ad extrema vitæ deduxit. Ille nihilominus (se ipsum Deo & patriæ immolans) ad ultimum usque Spiritum nunquam destitit incumbere in ea, quæ salutis reipublicæ esse videbantur. At tandem vires illius adeò attenuatæ fractæque sunt, ut è lecto surgere amplius non valeret, lactèque humano vitam utcunque prorogare cogeretur; atque adeò certissima mortis imminentis argumenta daret, cujus & horam divina revelatione (teste Duardo Nonnio) præcognovit ac prædixit. Nam cum iis, qui morienti adstabant, dixisset, velle se parumper quiescere, ita tamen, ut juberet se ante undecimam excitari: in alterum latus inclinatus aliquamdiu ita jacuit, donec admonitus auditam esse undecimam, *Porrigite*, inquit, *mibi sacram candelam, hora quippe mea, dudum expectata venit*; & ita candelâ manu apprehensâ, postquam ritè unctus, refectus, & expiatus esset;

*Nec labori  
nec sumptui  
parcit, ut  
suis benefa-  
ciat.*

*Piissimè mo-  
ritur.*

effet; ac regnasset annum unum, menses quinque, dies totidem, gravi confectus tæbe, purissimam efflavit animam eadem die, eademque horâ, qua ante sexaginta & octo annos in lucem editus fuerat, videlicet die ultima Januarii anno Christi 1580. ætatis 68.

Obiit piissimus Princeps magno bonorum omnium luctu, quamquam non sim nescius, alios aliter (ut virtus semper habet invidiam) scripsisse; gratumque fuisse pluribus ejus obitûs nuncium Publici tamen mœroris præclarum reliquere testimonium ij, qui ex vero scripserunt: inter quos Jacobus Sadoletus, Duardus Nonnius, Antonius Vasconcellus, Alphonsus Ciaconius cum primis eminent. Quibus egregiè suffragatur Emmanuel Pimenta S. I. hisce versibus de eo scriptis.

*Te liquidi flevère lacus, te pallidus auro*

*Rex Tagus, & mœstus te Pater Oceanus.*

*Te juga, te montes, te facta draconibus antra,*

*Quæque colunt vitreas squammea monstra domos,*

*Quin etiam summos testata in nocte dolores*

*Lucida pallentes Cynthia traxit equos.*

*Omnia dant lachrymas mundi loca, credite gentes,*

*Maxima tot lachrymas non nisi damna petunt.*

*Quantum perdiderit generoso in Principe mundus,*

*Dat mare, dat tellus, astraque mœsta fidem.*

Elogium su-  
nebre.

Fuit profectò res admiratione digna, quam & observarunt <sup>Observatio</sup> Historiæ periti, coepisse Henricum cum morte luctari sub ipsum <sup>de ejus obitu.</sup> principium eclypseos Lunæ, illaque desinente, vivere quoque defuisse. Atque ut primo Lusitanæ Domino, qui sub nomine Comitis imperarat, nomen fuerat Henrici, ita etiam postremus iste, in quo linea masculina Regum Lusitanea extincta est, idem nomen, circulo quodam factò, fortitus fuerat, ut principium fini concordaret. Corpus Almerini, ubi obiit Henricus, primo depositum, deinde Eboram translatum ad monumentum, quod sibi vivens in Ecclesiâ Societatis Jesu à se erectâ posuerat: Sed postea Philippo II. regnante, & mandante ad Bethlehemiticum Templum (quod est commune Lusitanorum Regum Mausolæum) translatum in Ecclesiâ B. V. Mariæ Ordinis S. Hieronymi nobilissimo funere, cui Rex ipse Philippus pullatus adstitit, conditum fuit. Quò, ubi tertio post anno translatum est, non sine admiratione incorruptum, integrum, speciosum, nihilque grave olens inventum narratur. Unde postea magno beneficio è sacro cadavere detractus pes, Eborensi illatus est tumulo, monumentum stabile sui in Societatem Jesu amoris, ac primæ plantæ, quam Eborensi Collegio dederat.

Post ejus mortem apertis testamenti ante octo menses conditi tabulis, repertus est ei successionem in regno deferre, qui causâ in jure disceptatâ vinceret. At neglecto conditoris Testamento Philippus II. Hispaniarum Rex armis illud, non legibus occupavit: ut proinde rectè olim dixerit Æneas sylvius in fine Historiæ Bohemiciæ; *Nobis certissimò persuasum est, armis acquiri regna, non legibus.* Habuit Regnum Lusitanæ Reges proprios numero 17. ab anno nempe

Lusitania in  
manus alie-  
nas labitur,  
& rursum  
electione  
proprii Regis  
fit Lusitania  
regnans.

Cardinalis  
Henrici  
Scripta.

1110. usque ad annum 1580. quo anno, ut diximus, mortuo Henrico nostro Philippus regnum occupavit, sicque Hispania ad Monarchiam rediit. Sed iterum anno 1640. pulsus Hispanis, Lusitania proprium sibi Regem elegit Joannem IV. dictum *Fortunatum*, antea Bragantiæ Ducem, cui sub annum 1656. successit filius Alphonsus Henricus, qui regnavit usque ad annum 1668. quo anno ob vitæ dissolutionem, regnandique imperitiam sceptro indignus declaratus, à fratre Petro in Insulam Terceram relegatus est. In cujus postea locum ipse frater Petrus substitutus, dictus est Petrus II. qui anno 1687. secundas nuptias contraxit cum Maria Sophia Elisabetha Neoburgica Guillelmi Principis Palatini filia, & sore matris Caroli VI. gloriosissimi Imperatoris, hodie feliciter regnantis. Atque hoc modo Lusitania iterum ab Hispania sejuncta & vindicata proprio Regi in præfens subest.

Scriptit Henricus Cardinalis, adhuc juvenis egregium libellum ad proprium usum, in quo Evangelia per annum occurrentia, ad formam meditationum exprimens, vivum suæ pietatis specimen posteris reliquit. Hæ sunt illæ Homiliæ, quas primum vir egregie pius ac doctus Ludovicus Granatensis Ordinis Prædicatorum, illius ævi præclarum sidus, & mysticæ Theologiæ doctor mirificus in gratiam tanti Principis Lusitano sermone excudi curavit: Antonius deinde Senensis, ejusdem Dominicanæ familiæ alumnus, ut toti orbi constarent, Latinas reddidit: Has easdem postea Eboreses Academici elegantius translatas typis vulgarunt, & amplio-rem fecere usum tam singularis indolis, ac Spiritûs, quem mundus in Principe tot titulis claro jure miraretur.

Scriptit etiam Commentaria, quibus probat S. Paulum Apostolum Hispanis verbum salutis prædicasse: & observationes Historicas, ut refert Joannes Vafæus in Chronico Hispaniæ, his verbis: *Sed non contentus benignissimus Princeps hoc beneficio, si quid etiam in legendis Authoribus (ut omne tempus quod ab oratione, & publicis negotiis vacat, sacrorum Authorum lectione transigit) observaret, quod instituto meo conduceret, humanissime mihi communicavit.* Testatur idem Vafæus Henricum Principem, codicem Alcobaciensem, aliosque insignes libros ex sua regia Bibliotheca ad conficiendum Hispaniarum Chronicon sibi suppeditasse, sine quibus in condendo Chronico irritus suus conatus futurus erat.

Scriptit pariter insignes sermones sacros, ad populum, Clerum, & Magistratus diverso tempore habitos.

Decreta item multa pro reformatione Cleri Lusitaniæ.

*Eum celebrabant Duardus Nonnius in libro de vera Regum Portugallie Genealogia. Petrus Ribadeneria in vita S. Ignatii. Petrus Massæus in Histor. Indica. Franciscus Sanchinus in Hist. S. J. Antonius Vasconcellus in Hist. Lusit. Antonius Sanderus in elog. Cardinal. Stanislaus Rescius in Epistolis. Gaspar Jongelinus in Purpura S. Bernardi. Hieronymus Conestagnus in Hist. Lusitaniæ. Aubery in vita. Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana. Contelorius in Elencho Cardinal. Ludovicus Morerius in Diction. Histor. Hoffmannus in Lexico Hist. & plurimi alii.*

ANNO 1534.

SEDEnte PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

## CAROLO GUISIO A LOTHARINGIA

S. R. E. CARDINALE.

**C**AROLUS Guisius Lotharingus Jonvillæ ( quæ titulo principatus in Campania decoratur ) anno 1524. die 17. Februarii natus, Claudium I. Guisæ Ducem, Renati II. Lotharingæ Ducis filium, & Antoniam Borboniam Francisci Comitis Vindocinensis filiam, Parentes habuit. Frater ei erat Franciscus II. itidem Dux Guisæ, ob præstantem militaris gloriæ laudem à nonnullis Mars appellatus; soror verò Maria, Jacobi V. Scotiæ Regis uxor, & mater Mariæ Stuartæ, Scotiæ, Hiberniæ, & Angliæ Reginæ, quæ anno 1558. ab Elisabetha Angliæ Regina hæresi infecta, ob fidem Catholicam extremo capitis supplicio affecta est: Quemadmodum supra n. 28. in vita Davidis Bettonii Cardinalis ad calcem fusiùs retulimus.

LXVI:  
Ejus Frater  
Mars ap-  
pellatus.

Natus igitur faustis admodum auspiciis, directum ad laudem iter arripuit, cujus amplam ex præclaris acibus demersit segetem. Siquidem Parisiis in Navarræ Gymnasio studiis eloquentiæ & Philosophiæ apprime imbutus, atque à Francisco I. Galliæ Rege ad aulam accersitus, tantâ modestiâ, sobrietate, & continentiâ inter aulæ delicias eminuit, ut insignem ejus animi indolem nec voluptatum illecebræ fregerint, nec ludicra juventutis oblectamenta mentem à scientiarum amore avocârint. Nam & in victu frugalis, in societate urbanus, in moribus honestus, in colloquio gravis, statim omnes sui admiratione ita commovit, ut jam tum in adolescente Principe ea decora, quæ tractu temporis secutura erant, prædivinarent. Viros literatos impenso studio complectens, eorum consuetudine & virtute mirè delectabatur. Nec facile alios ad aulæ, aut Ecclesiæ dignitates provehi gaudebat, quàm quos eruditio & virtus commendarant.

In aula  
versatur  
sceleris pu-  
rus.

Annos natus sedecim, ad sedem Metropolitanam Ecclesiæ Rhemensis vocatus, præfuit illi integerrimâ nominis famâ annis supra quinque & triginta, quorum decursu (rarò sanè exemplo) tres Galliæ Reges ad aram inunxit; Henricum scilicet secundum, patrem anno salutis 1547. & Franciscum II. filium Henrici anno 1559. & Carolum IX. Francisci fratrem anno 1561. Episcopus rexit Ecclesiam Metensem, & Abbas Cœnobium ejusdem urbis; immò totius Ordinis Cluniacensis Abbas commendatarius subjecta habuit Cœnobia S. Dionysii, Fiscani, S. Remigii, Rhemensis, S. Urbani, & alia. Academiam Rhensem, obtento à Paulo III. diplomate, & Regis Henrici II. consensu, instituit anno 1548. Mussipontanam verò, quam tradidit Patribus Societatis JESU, erexit

Fit Ecclesiæ  
Rhemensis  
Episcopus.

H h hh 3

anno

anno 1573. Fuitque auctor Seminarii Rhemensis, in quo multi juvenes, parentibus & facultatibus destituti, gratis ad literas & pietatem alerentur. Ecclesiæ Rhemensi ex propriis bonis in annuos redditus constituit quatuor millia librarum, pendenda quot annis à Duce Guisæ ob hæreditatem in hunc finem oppigneratam. Reformavit etiam, annuente Rege, magno rei literariæ commodo, & totius reipublicæ Christianæ emolumento, Academiam Parisiensem.

*Cardinalatus dignitatem ad reliquos honorum Ecclesiasticorum gradus adijcit.*

Tantum Principem Romæ absentem Paulus III. in gratiam Henrici II. Regis, anno salutis 1547. Presbyterum Cardinalem S. Cæciliæ nominavit. Qui post obitum Joannis Cardinalis Lotharingi, assumpto Lotharingiæ nomine, dici voluit Cardinalis Lotharingus. Anno ætatis vigesimo quarto ad Paulum Pontificem ab Henrico II. Legatus missus, ornata & gravi oratione Henrici fidem & submissionem erga Sedem Apostolicam testatus, ejusdemque pro vera Religione zelum & propensionem commendans, auctor fuit fœderis Paulum inter & Henricum adversus Carolum V. Imperatorem initi.

*Commendat illi S. Ignatius res Societatis JESU in Gallia.*

Romæ versanti S. Ignatius Societatis Jesu institutor, res Societatis in Gallia pluribus commendavit: Cui optimus Cardinalis, *Ne alium, inquit, deligas Patronum, me futurum polliceor tua Societatis protectorem.* Unde in Gallias reversus, omnium primus de eadem recipienda in frequenti Procerum conventu verba fecit. Et quamquam in Concilio Tridentino Lainio aliquantulum subiratus memoretur (submolestè enim tulerat, ab Lainino inter sententiam peragendam publicè dictum propter imminutam Basileensi Concilio Romani Pontificis auctoritatem in Gallia, Dei permissu fieri, ut ne eius regni Principibus sua apud populares constaret potestas) postea tamen meliùs informatus, rem in bonam, sicuti dicta erat, partem accepit: Eà quidem deliniti animi significatione, ut in digressu Lainio sanctè receperit, ei se ipsi in amanda tuendaque Societate nihil cessurum; quin, si fors ferat, eam se suis humeris in Gallia, & ubicunque gentium posset, sustentaturum.

*Tridentum venit ad Concilium.*

Anno 1562. ad titulum S. Apollinaris, dimisso priori, translatus, cum ad Concilium Tridentinum magnâ Præsulorum Gallorum catervâ comitatus prodiiisset, stipatus multitudine Doctorum, ac insignium Theologorum numero duodecim, die 13. Novembris Tridentum ingressus est. Exceptus longiùs extra urbem à Cardinale Madrucio Episcopo Tridentino, in consortio plurimum Antistitum, Principum, ac Oratorum; ad portam verò Urbis ab omnibus Cardinalibus Legatis, atque in hospitium sibi præparatum deductus. Altera die ad Concilii locum accedens, in congregatione generali oblatis literis regiis de sua missione, & causis ejus, videlicet ad ea procuranda, quæ necessaria erant ad regni tranquillitatem, ac totius Christianæ reipublicæ salutem, nervosam, doctam, & perelegantem orationem habuit. Quam refert in actis tanti Cardinalis Augustinus Oldoinus.

Pius IV. qui per id tempus sacris Christianis præfedit, dato Romæ diplomate Cardinalibus Concilii Legatis mandavit, ut debitus honor & sedes Carolo Cardinali deferretur, non enim legatio-

tionis munere functus est in Concilio, ut perperam aliqui scripsere, sed Oratoris Gallici. Die 12. Februarii anni 1563. Tridento Cardinalis Lotharingus Ænipontum abiit ad colloquium cum Ferdinando I. Cæsare de Concilio habendum. Quo appulsus reperit Cæsarem de rebus Concilii valdè sollicitum: Concilii inquam, cujus dissolutionem, aut suspensionem in tot ac tantis inutilibus prorogationibus Pontificem meditari multi seriò suspicabantur; ipse vero Cæsar percuperet ad finem optatum ac fructuosum perducere, atque in eo seriò de reformatione tum Cleri, tum populi Christiani agere, tanto quidem studio & contentione, ut offerret etiam, si opus esset, Tridentum se conferre ad eam rem promovendam. Quin immò & Romam iturum, ut Pontificem obsecraret, pateretur reformationem fieri sine diminutione auctoritatis suæ; aut si Papa Bononiam peteret, uti præferebat, accelerandam Concilii finem, ipsum ibi conventurum, ut ea quoque commoditate coronam imperii acciperet.

*Commen-  
datur ab  
ipso summo  
Pontifice,*

Tridento etiam Romam Carolus contendit Pontificis de rebus maximis consulendi gratiâ: Ubi à Pontifice perhonorificè acceptus, publicè quoque in suo diversorio (quod rarissimè fit) visitatus est. Romæ transacto mense, à Pontifice muneribus, atque omnibus benevolentix signis, & promissionibus cumulatus, rediit Tridentum, ubi usque ad Concilii solutionem moras trahens, in fine ejusdem (uti ex actis Concilii docemur) acclamatione ex veteri more usus est: *Beatissimo Pio Papæ, & Domino Nostro sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici multi anni, & aterna memoria.* In quibus acclamationibus uti auctor à nonnullis notatus est levitatis, quòd parum ex tanti Præfulis & Principis dignitate in eo ministerio servire affectarit; quòd ex antiquo usu Diaconis potiùs, aut Secretario Concilii convenire videretur, quàm Archiepiscopo & summæ existimationis Cardinali: Maximè quòd ejusmodi acclamationes fuissent ex scripto; quarum primus usus in Conciliis Orientalibus ex instinctu aliquorum Episcoporum in voces laudum, & consensus erumpentium introductus, quibus reliqui omnes concinebant. Sed gravior in Cardinalem accusatio à Gallis fuit, quòd scilicet post acclamationes Pontifici, & Imperatori, sub quibus Concilium celebratum fuisset, nominatim factas, mox colectivo nomine Regibus acclamarit, nullâ factâ distinctione Regis Gallix, cujus nomen in principio Synodi, dum Carolus V. in vivis ageret, exprimi consueverat; nunc autem ne ægrè faceret Philippo Regi, à Cardinale est omissum. Quod, cum ei postea in Regis consistorio objectum fuisset, pacis & concordix inter potentissimos Reges, reipublicæ Christianæ conservandæ studio, factum à se excusavit.

*Tridento  
Romam  
contendit.*

In Gallias reversus, ea quæ Tridenti decreta fuerant, in tantum observare curavit, quantum pateretur miserrima temporum calamitas. In Ecclesia sua ABbatiali Sandionysiana exequias Regi Henrico II. anno 1559. celebravit: & in eodem Templo coronam donavit multos post annos, anno scilicet 1570. Elisabetham Austriacam Franciæ Reginam in præsentia quatuor S. E. E. Cardinalium, Borbonii, Guisii, Estensis, & Pelvæi.

*Celebrat  
Exequias  
Henrico II.*

Interest negotiis gravissimis.
 Romæ interfuit Conclavi, & creationi Pauli IV. à quo Legatus in Galliam missus, suâ operâ Pontificem & Regem adversus Cæsarem fœdere conjunxit, quamquam non eo exitu, quem sperabat, ut alibi indicavimus. Interfuit pariter fœderi Cameracensi inito sub annum 1559. cum Philippo II. Hispaniarum Rege, fuitque ipse unus ex istæ pacis obsidibus. Affuit item Colloquio Piffiacensi anno salutis 1561. in causa Religionis celebrato, in quo non solum tetra Calvinistarum molimina virili facundiâ, & rationibus è scriptura petitis elisit, sed etiam ori impuro Theodori Beza hæreticorum Coryphæi sacram Eucharistiam blasphemantis colapsum impegit: cùmque adesset Petrus Martyr, cognomento Vermilius Florentinus, apostata, hæreticos explicare jussit, à quonam evangelizandi potestatem & missionem accepisset? iis ad tantam viri libertatem obstupefactis, & hæsitantibus, deinceps silentium indixit. Quare Annæum Mommorantium Franciæ Connestabilem, Gasparem Colineum Thalassiarum, ipsum etiam Principem Condæum, qui hæreticis favebant, hostes sæpenumerò expertus est. Quorum postea insidiis factum, ut Franciscus Dux Guisæ Caroli frater in Aureliæ obsidione à proditore Joanne Poltrocio nobili Engolismensi hæretico, quem Theodorus Beza factariorum princeps infami mercede conduxerat, crudeliter interfectus sit.

Ipsius singularis pietas.
 Anno 1569. Religioni Catholicæ consulturus Carolus IX. Galliæ Regem Metas profectum comitatus est, ubi primâ Dominicâ Quadragesimæ, post celebratum Missæ sacrificium, doctissimam concionem coram Rege, Curia, & frequentissimo populo habuit, magnâque eloquentia, qua apprimè pollebat digito ostendit, *Hæreticos esse demone peiores*, qui cùm non ignorent, Christum Dei filium esse; illius tamen præsentiam & potentiam in Transubstantiatione negent. Urgentibus bellorum motibus ab hæreticis concitatis, ad DEI placandam iram nudis pedibus in publicis supplicationibus incedens, populum exemplo & doctrina ad pietatem & fidei constantiam inflammavit. Sæpenumerò Regis ac patriæ causam agens adiit Pontificem, Cæsarem, Venetos, aliosque Principes Christianos. Perduellium hæreticorum Franciscum II. Galliæ Regem capere & occidere volentium, inhumanam conjurationem detexit: Quare meritò à gentis suæ Scriptoribus *Gallici sceptri propugnaculum*, & *Ecclesiæ Gallicanæ lumen*, est appellatus; suâ enim sapientiâ, facundiâ, & zelo, quo favebat sanctæ fidei, falsorum dogmatum monstra jugulare semper studuit. Postremò Romæ fuit mense Maio anno 1572. ad Gregorii XIII. electionem, qua peracta, ne turbatissimæ patriæ consilio & opera deesset, in Galliam rediit.

Ejus mors.
 At cùm ex Polonia adventantem Henricum III. (sublato è vis Caroli IX. fratre salutaturus Avenione convenisset, ibi 7. Kalendarum Januarii sævissimâ correptus febre, Ecclesiæ mysteriis ritè expiatus obiit anno salutis 1574. ætatis suæ vigesimo nono, mense decimo. Corpus Rhemos delatum, in Cathedrali Ecclesia cum sequenti inscriptione conditum jacet.

## D. O. M.

CAROLUS S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS  
A LOTHARINGIA,

*Archiepiscopus Dux Rhemensis, Primus Par Franciæ,  
Sanctæ Apostolicæ Sedis Legatus natus,  
De morte & resurrectione cogitans,*

*Vivens sibi posuit Pontificatus sui anno trigesimo quinto,*

*Vixit annos 49. menses 10. dies 7. horas 4.*

*Obiit anno 1574. septimo Kalend. Januarii.*

*Requiescat in pace, donec*

*veniat immutatio ejus.*

*Amen.*

*Epitaphiū,  
funebre.*

Fuit vir multis animi & corporis dotibus præstans, æquè pius ac doctus, ob eruditionem & ingenii stupendi fecunditatem *naturæ monstrum* dictus. De quo in elogiis Doctorum illustrium Scævola Sammarthanus inter alia hæc habet. *Quod si Carolo per eas licuisset occupationes, quibus assiduè districtum, impeditumque gravissima totius Christiani orbis negotia tenuere, haberemus profectò non pauca tam rarè & excellentis ingenii monumenta, quæ cum veteribus etiam optimis comparare possemus.* Commendabat has animi, fortunæque dotes, & illustrabat staturæ quoque dignitas, & forma summo conveniens Principi, quique omnes ejus actiones admirabili suavitate condiebat, sermo elegans, & uberrima semper dicendi copia. Publico cantui Ecclesiæ in Choro, & Missarum solemnibus ad aram, quoad licuit aderat: propriis manibus dapes pauperibus ministrabat: conciones frequenter pro suggestu sacro ad populum habebat: lectionem sacram frugali mensæ semper adhibebat: in ejus familia nulli aucupes, nulli venatores, nulli moriones, adultores nulli, quos angue pejus oderat: bis jejunabat in hebdomada, diebus scilicet Veneris in honorem passionis Christi; & Sabbathi in cultum Deiparæ Virginis: corpori domando cilicium frequenter adhibebat: vanis & inutilibus colloquiis nunquam vacabat: festis solemnioribus pontificali indutus ornamento litabat: favebat mirè viris de literis benemeritis: Sacerdotes ipse examinatos ordinabat; Curiones visitabat; Synodos provinciales ad Cleri decorem, & reformationem celebrabat. Unde meritò de tanto Principe cecinit Joachimus Bellaius.

*Ejus elogium.*

*Quod cunctis natura dedit, quod Numina, & Astras*

*Quod fortuna potens, CAROLE, solus habes.*

*Ingenium, formam, eloquium, florèmq; juvenæ,*

*Virtutem, atque animo præmia digna tuo.*

Hujus præcellsi ingenii partus supersunt Orationes multæ, quarum quinque eleganter scriptæ in manibus habentur.

*Quid scribserit.*

Item Commentarius de rebus gestis Henrici II. Regis Gallicæ.

Consolatio de morte Francisci Guisix Ducis fratris sui ad ipsam Ducissam Guisix.

Sermo didacticus de præparationibus necessariis ad sumendum divinum in Eucharistia epulum.

Conciones Latinæ & Gallicæ Rhemis pronuntiatae.

Carmina multa Latino idiomate scripta.

Epistolæ plures ad varios.

Et alia quædam præclara opuscula.

*Ejus mentionem faciunt Claudius Robertus in Gall. Christiana. Petrus Frizonius in Gall. Purp. Petrus Ribadeneira in vita S. Ignatii. Henricus Spondanus in Annal. Scævola Sammarthanus in elogiis. Antonius Sanderus in elogiis Cardin. Aubery in vita. Contelorius in Elencho Cardin. Nicolaus Orlandinus in Hist. Soc. JESU. Sfortia Pallavicinus in Hist. Conc. Trid. Morerius in Dict. Hist. & alii multi.*

ANNO 1534.

SEDEnte PAULO III. PONTIFICE MAXIMO.

De

**BERNARDINO MAFFÆO**

S. R. E. CARDINALE.

LXVII.  
Maffæus  
quis?

**B**ERNARDINUS Maffæus nobilis Romanus, illustribus parentibus Hieronymo Maffæo, & Antonia Matthæia anno nostræ salutis 1514. ortus, à juventute bonarum artium diligens cultor, brevi temporis spatio vir omnium scientiarum genere instructissimus, lepidusque Poëta, facundus Rhetor, Historicus verax, & antiquitatum exquisitus indagator evasit. His, aliisque virtutibus præditus præstantiores Academias invisens, hominumque doctissimorum consuetudinem & colloquium frequentans, apud eruditos viros, & eruditionis patronos magno sanè fuit in pretio.

Hujus virtute & eloquentia illectus Paulus III. Romanus Pontifex eum sibi ex multis selectum à secretis ascivit; ac paulò post Vaticanæ Basilicæ Canonicum primò, deinde Massanatum, ac Populoniensem Episcopum, cedente Alexandro Farnesio Cardinale, renunciavit: quam Ecclesiam nonnullis interjectis annis Michaëli Silvio Cardinali Vifensi, ipse ad Theatinam Archiepiscopalem sedem translatus, liberè cessit. Tandem virtutum, fidei, morumque favore, Casertanensi Sacerdotio auctus, ad purpuram anno ætatis trigésimo, Christi 1549. à Paulo III. evectus, conceptæ à summis viris de se opinioni cumulativè satisfecit. Cum doctrinà enim semper pietatem jungens, modestiam, temperantiam, mansuetudinem, ac continentiam ad supremum usque Spiritum perpetuò coluit.

Cardinalis  
creatur.

Arcto Vinculo  
S. Ignatio  
Soc. JESU  
Fundatori  
connexus.

Præfuit Presbyter Cardinalis Ecclesiæ S. Cyriaci in Thermis: arctissimo necessitudinis & amoris vinculo cum S. Ignatio Societatis JESU fundatore conjunctus, ei, quum Paulo Pontifici ab Epistolis esset, opem tulit ad excludendas à Societate Ecclesiasticas digni-

dignitates: non quòd dignitatis gradus, ac tituli ipsi per se mali sint, aut improbandi (quippe ad Ecclesiam cum autoritate regendam, & ordinum discrimina retinenda divinitus inductos scimus) sed quòd à minimo Societatis JESU instituto alieni esse, Ignatio viderentur. Interfuit comitiis pontificiis, in quibus anno salutis 1550. Julius III. ad summum Sacerdotium evectus est, à quo ad Octavianum Farnesium Parmæ Ducem pro pace Legatus missus, concordato suà dexteritate Duce, rem ex Pontificis sententia per-

Ejus obitus.

fecit. Obiit vir optimus Romæ nondum quadragenarius, decimo septimo Kalendas Augusti anno salutis 1553. sepultus in Sacello Maffæ gentis ad S. Mariam super Minervam. Annibal Carus, Paulus Manutius, Pierius Valerianus, Petrus Victorius, aliique ejusdem notæ Authores mirificè Maffæum laudant, ejusque reconditam doctrinam & eruditionem non semel prædicant. Plura ingenii sui monumenta posteris reliquisse memoratur, quorum aliqua typis vulgata, aliqua inter manuscripta Romæ reperiuntur. Scripsit itaque

Scripta.

Commentaria in Ciceronis Epistolas.

Historiam de Inscriptionibus & Imaginibus antiquorum numismatum.

Orationes quasdam. Epistolas multas.

Inter multa, quæ vitam Maffæi cohonestant, pietatis argumenta, hoc præ cæteris memoriæ proditum est, quòd ante obitum, ut suam erga pauperes Christi, quibus se in cœlis foenerari non ignorabat, ostenderet charitatem, octoginta aureorum millia ipsis viritim distribuenda testamento reliquerit.

Testamentum  
ejus Liberale.

Jano Vitali culto ævi illius Poëtæ, Maffæi Cardinalis virtus haud ignota fuit, inter alia enim hæc de eo cecinisse reperitur.

*Dic illum Patria lumen, dic esse decorem*

*Egregium Latii, dic decus Italia;*

*Dic Sanctarum illum decorare oracula legum,*

*Et scita ante oculos semper habere Dei.*

*Dic & delicias Naturæ, divitiásque,*

*Dic quidquid melior sanctius orbis habet:*

*Magnæque cum repetens hæc dixeris omnia, plura*

*His addenda tibi mox nova semper erunt.*

Ejus Elogium.

Agunt de eo Joannes Petrus Maffæus in vita S. Ignatii Filucius in elogiis Cardinal. Franciscus Sacchinus in Hist. Soc. JESU. Felix Contelorus in Elencho Cardin. Aubery in vita. Sfortia Pallavicinus in Hist. Conc. Trident. Andreas Victorellus in addit. ad Ciac. Morerius in Dict. Hist. & alii in vita citati.